77 = 3 - A = N. 25

Digitized by Google

FCL
20.913

Digitized by Google

Cst. Allt. 16. 7a. n. 184

Vide = Conringii

Digitized by Google

20913

JANI DUBRAVII

EPISCOPI OLOMUCENSIS

DE PISCINIS

LIBRI V.

Accedunt ejuſdem argumenti ex veterum recentiorumque ſcriptorum libris excerpta.

Omnia HERM. CONRINGII curâ iterum edita, & ab innumeris mendis purgata, cum præfationibus.

HELMESTADII

Typis & ſumptibus HENNINGI MULLERI Academiæ Juliæ Typographi.

CIϽ IϽ C LXXI.

Cum privilegiis perpetuis.

SUMMA PRIVILEGIORUM.

CAutum eſt interregni tempore Privilegiis Sereniſſimorum Potentiſſimorumque S.R.I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringij curâ ſcriptos vel editos, citra ejus heredumque conſenſum, intra limites Vicariatuum imprimat, aut alibi impreſſos divendat: pœnâ delinquentibus dictâ amiſſionis omnium ejuſmodi librorum & ſolutionis decem marcarum auri. Prout latius definitur ipſis Privilegiorum tabulis.

ILLVSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO

DN. FRIDERICO

COMITI IN ALEFELD ET RIXINGEN
L. BARONI IN MAËRSBVRG
HEREDITARIO DOMINO GRAWENSTEINII
VTRIVSQVE SEHEGARDIÆ ET WILTNVSSII
EQVITI
S. R. M. DANIÆ ET NORWEGIÆ
SVMMÆ FIDVCIÆ SANCTISSIMO ET REGIMINIS
ET REGIONVM OMNIVM CONSILIARIO,
VICARIO REGENTI DVCATVVM SLESWICI
ET HOLSATIÆ
GVBERNATORI ET PRÆFECTO STEINBVRGI
AVSRALIS DITHMARSIÆ
ET LANGELANDIÆ

felicia quæque precatur
HERMAN. CONRINGIVS.

IAni Dubravii de Piſcinis libros non dubitavi ego à quamplurimis mendis liberare, & additis ejuſdem argumenti veterum recentiorumque hinc inde petitis laciniis monumentiſque, in nomen tuum Illuſtriſſime Comes mea cura in lucem denuo jam edere. Ea res quin ſiniſtras quorundam voculas ſit commotura, non equidem dubito. Exiſtimabunt ſcilicet nonnulli, violari tali incepto id quod mihi vel in aulis vel in Academia, hac incumbit officium, reipublicæ ſaluti docendo agendoque inſerviendi: multo magis peccari in Illuſtriſſimam dignitatem tuam oblatione ejuſmodi libellorum. Verumenimvero ſi quæ tales voculæ ſpargantur, apud te quidem, Illuſtriſſime Comes, nullum ſcio pondus inventuras: utpote cum prudentia ac doctrina valens, ſimulque longo rerum uſu, quid conveniat reipublicæ commodo, & quid deceat tui celſioris loci proceres, optime jam pridem didiciſti. Si apud alios tamen imperitiores opus mihi apologia aliqua fuerit, video illam ex longinquo petere non eſſe neceſſum. Primo enim utique ipſi illi quorum ego ſcripta nunc exhibeo, non in umbra aut otio, ſed in clara reipublicæ vi-

xerunt

xerunt luce, magnis functi dignitatibus, & in excelſis collocati locis. Janus ſane Dubravius ex Illuſtri procerum Bohemiæ ac Moraviæ proſapia ortus, ad Epiſcopalem evectus fuit eminentiam, ſimulque igitur Principem aliquem egit in regundo Bohemiæ regno. M. Varro non patricia quidem ſed plebeja, perantiqua tamen Romana & honorata pridem familia Terentia fuit natus. Jam ſcilicet anno Vrbis CCXCI C. Terentius Tribunus plebis legem tulit, ut Quinque-viri, legibus de Conſulari imperio, ad libidinem ac licentiam Conſulum refrenandam, ſcribendis crearentur. Ipſemet M. Varro, cum ex S. C. maris imperium bello piratico conficiendo demandatum eſſet Pompejo Magno, præfuit hujus claſſibus, tenuitque Ægeum & Ponticum mare, ea induſtria ac virtute, ut navali ſive roſtrata corona donatus ab ipſo Magno fuerit. Quod præmium tanti à C. Plinio fuit æſtimatum, ut duxerit ad poſteritatem memorandum, *roſtratas coronas in duobus maximè ad illud ævi fuiſſe celebres, M. Varrone, è piraticis bellis dante Magno Pompejo, itemq; M. Agrippa, tribuente Cæſare è Siculis.* Et verò fuit illa corona Varroni non minori tum ob rem præclare bello geſtam honori, quàm poſt ob incom-

 parabi-

parabilem eruditionem iſtud, quod in illa Biblio-
theca quam primus Aſinius Pollio publicavit, unius illius Marci viventis imago fuerit collocata. Quum idem porro Cn. Pompeius in ſecundo Conſulatu Hiſpanias ſibi decerni voluiſſet, eaſque per triennium abſens ipſe ac præſidens Vrbi per Legatos adminiſtraret, tertium Legatorum Marcum hunc Varronem conſtituit, & Pro-quæſtoria adhoc dignitate ornavit. Superant hodieque denarii, poteſtate iſta Pro-quæſtoria, cujus præter alia argenti ſignandi in provinciis cura fuit, à Varrone illa tempeſtate cuſi: quorum imaginem egregie inter Terentianos Fulvius Urſinus V. C. exhibuit, falso tamen quantum videtur Jovis Terminalis caput eſſe arbitratus quod eſt Quirini ſive Romuli. Quos honores geſſerit, quove in republica officio fuerit functus L. Iunius Moderatus Columella, equidem dicere non habeo; Romanum tamen fuiſſe civem nec infimi ordinis, certum eſt. Ipſe M. Columellam patruum ſuum *Illuſtris agricolæ* & *Illuſtribus diſciplinis eruditi* titulo dignari auſus, ſatis utique oſtendit, etiam ſeſe ſupra vulgus multum eminuiſſe. Quantus autem bello paceque fuit C. Plinius! Militavit ille juvenis in Germania, caſtrenſi contubernio Titi poſt Augusti

guſti uſus, & præfectus alæ, procuravit in Hiſpania, Romæ officiis maximis functus eſt, floruitque amicitia Veſpaſiani & Titi Cæſarum, familiariter adeo, ut ante lucem ad Veſpaſianum Imperatorem inde ad demandatum ſibi officium ire fuerit ſolitus. Conſtantinus præterea Porphyrogeneta univerſum Orientale Imperium, non pacis duntaxat artibus ſed armis etiam, annos ipſos novem ac quadraginta, rara felicitate gubernavit. Non ad illud quidem faſtigium pervenit Petrus Creſcentienſis: nobili tamen natus domo, Bononiæ, quo tempore nondum Pontificiis urbs illa ampliſſima habenis agebatur, Senatoria functus eſt dignitate, civilibus pòſt coortis diſſidiis, inde quidem cum urbis primoribus nonnullis diſceſſit, alibi tamen per Italiam obivit legationes quammultas reipublicæ cauſsâ, & gravia negocia geſſit, ſeptuagenario demum major quietem in agro ſuo excolendo inveniens. De ſuo illo exilio verba faciens eximius ſenex ait: *annis triginta diverſas per provincias cum earum rectoribus circuivi, ſubjectis libenter juſticiám tribuens, rectoribus fidele conſilium, & civitates in ſuo jure ac ſtatu pro poſſe conſervans.* Conradus poſtremò Heresbachius cum in avitò caſtro Heresbachio ſit natus, ſanguine uti-

que

que fuit nobilis. Rexit vero & juventutem Ducis Juliaci Cliviæ & Montium, ac quamvis ruri degens à conſiliis tamen reipublicæ Duci ſuo fuit, idq; in arduis quibuſvis imò & forenſibus negotijs, ſimulq; illuſtribus legationibus ſæpenumero eſt perfunctus. Saltim itaque tantorum virorum ſcripta nonnulla, tuo, Illuſtriſſime Comes, nomini offerens, non pecco in illam qua emines Comitivam dignitatem, nec quidquam committo indecens. Fuerunt vero magnæ in republica auctoritatis etiam alij in univerſum omnes, qui ex veteri ævo ſive de Oeconomica ſive ſeorſim de Ruſtica diſciplina nobis monumenta ſua transmiſerunt. Qui enim omnium illorum ætate eſt primus Xenophon, præcipua utique fuit nobilitate Athenienſis, & non in patria duntaxat urbe pacis bellique negotiis maximis fuit admotus, ſed foris etiam in Perſia tanta virtute & prudentia militari Græcum exercitum duxit, ut expeditionis illius hiſtoriam etiamnum rerum illarum intelligentes magna legant cum admiratione. Illum porro Xenophontis Oeconomicum non dubitavit Latine vertere M. Tullius Cicero: quem in Romana republica adhuc libera, h.e. non ſerviente Cæſaribus, Conſulari functum eſſe dignitate & Senatorem

torem egiſſe primi ordinis,nemo ignorat. Ariſtoteles cujus Oeconomica itidem ſuperant, à republica quidem abſtinuit manus, gerendæ tamen fuit utique ſi quis alius longe peritiſſimus: natus familia nobiliſſima, & amicitia cum magnorum Regum Philippi atque Alexandri, tum Antipatri variorumque magnatum Macedonum pariter & aliorum honoratus. Sine exemplo prætereà fuit in pacis pariter ac belli negotiis expediendis, is qui omnium primus Rem Ruſticam eloqui Latine inſtituit, ſuperſtite etiamnum quamvis perquam lacero libello, M. Cato Cenſorius. Quoniam denique Palladius Rutilius Taurus Æmilianus jam tum ſua ætate Vir Illuſtris audivit, non potuit ille non fuiſſe vel Patricius vel Conſul Romanus, vel Præfectus Prætorio, vel Magiſter militum aut officiorum, vel Quæſtor, vel Præpoſitus cubiculi Cæſarij, vel Comes aut largitionum aut rerum privatarum, aut domeſticorum: quippe qui ſoli ex more illius temporis Viri Illuſtres ſunt cognominati. Quod ſi is fuerit qui Rutilius Claudius Numatianus vulgo, fide tamen unius duntaxat mendoſi manuſcripti libri Itinerarii, nuncupatur, quod vero non eſt abſimile: floruerit Conſulari dignitate, Præfectus fuerit Vrbis Tribunus

 mili-

militum & Præfectus Prætorio: omnibus enim illis Itinerarij auctor dignitatibus fuit Illuſtris. Qui carmine Latino Georgica princeps expolivit Virgilius Maro, ipſemet quidem nullo in publico honore vixit; debetur tamen illud opus auſpiciis Mæcenatis, qui utique atavis fuit Regibus editus, primarius juxta Agrippam conſiliorum Auguſti Cæſaris omnium moderator, qualem noſtra ætas primum miniſtrum ſtatus diceret. Poſſum & alios quammultos laudare Ruſticæ & Oeconomicæ rei ſcriptores fama duntaxat ſui nominis ſuperſtites, ſummæ autem olim in republica exiſtimationis & optime meritos. Plinius diſertè: *De cultura agri præcipere Principale fuit & apud exteros. Siquidem & Reges fecere, Hiero Philometor Attalus Archelaus: & duces Xenophon & Pœnus etiam Mago.* Hic eſt ille Mago, qui principe iſthac Carthaginis domo natus eſt, quæ Hannones Amilcares Aſdrubales & Annibales dedit, ac proinde etiam ipſemet inter Pœnos ſuos magnis floruit honoribus. Ea vero ille induſtria & prudentia artem omnem agricolandi libris duodetriginta Punice docuit, ut capta Carthagine, *memorabilia illa volumina* (ita loquitur Columella, Magonem *ruſticationis parentem* appellans)

lans) *ex Senatusconſulto in Latinum ſermonem converſa ſint,* pòſt meruerint â Dionyſio Vticenſe Græce verti viginti libris & Sextilio Prætori mitti: (quæ perperam à nonnullis creduntur ea eſſe quæ Conſtantinus Porphyrogeneta Imperator edidit) ut hujus operis Epitome in ſex libros à Diophane Bithyno in Dejotari Regis gratiam contrahi. Quod ſi porro ad illos qui reipſa exercuerint univerſam hanc artem, & tamen in omni rerumpublicarum genere maximis fuerint functi dignitatibus attendamus; utique longè plurimi ex omni ævo, cumprimis priſco, poſſunt adduci, qui ſua vivendi ratione pridem demonſtraverunt, neutiquam illas curas Politico homine aut rempublicam gerente eſſe indignas. Non diffiteor equidem, Germanicas gentes olim agro colendo non multum, rapto latrociniis & bello potiſſimum fuiſſe deditas: *pigrum* ſcil. *& iners, viſum ſudore acquirere quod poſſis ſanguine parare,* cum quotiens bella non inirent ipſi ſomno ciboque hebeſcerent: (utinam in quammultis non idem etiamnum eſſet animus!) apud Romanos autem univerſos, quo tempore moribus ac viris antiquis res illorum ſibi conſtabant, & antecellebant ipſi omnibus etiam hucuſque ab orbe condito fortiſſimis at-

 que

que prudentiſſimis populis, idque ſuarum rerum libere & non ex aliquo dominantium arbitrio ſatagentes, longe diverſa & prudentior fuit vivendi ratio. Quem enim illi tum *bonum virum* aut civem, illum *laudabunt bonum agricolam bonumque colonum, ampliſſime ita illum laudari exiſtimantes*, ipſomet Catone Cenſorio teſte. *Non ſine cauſſa*, ait M. Varro, *majores noſtri ex urbe in agros redigebant cives ſuos: quod & in pace à ruſticis Romanis alebantur, & in bello ab his tuebantur.* Ejuſdem verba ſunt: *Viri magni noſtri majores, præponebant ruſticos Romanos urbanis. Annum ita diviſerunt, ut nonis modo diebus urbanas res uſurparent, reliquis ſeptem ut rura colerent.* Sane *illis temporibus ab aratris & raſtris Senatores Conſules & Dictatores Romani accerſiti ſunt:* quod Cicero loquitur. Nota ſunt Romanarum rerum peritis magna illa nomina, Manlii Curij Dentati, Attilij Calatini, L. Quinti Cincinnati, Marci Attilij Reguli, Serrani aliorumque. Juſto longior hìc eſſem ſi, quæ de ruſtica illa veterum Romanorum vita Plinius etiam libri duodeviceſimi tertio tantum capite diſſeruit, adferrem in medium. Non diſſimulabo tamen, eoſdem *Romanos patresfamilias*, (Varronis iterum verbis utar)

poſtea

poſtea *intra muros fere correpſiſſe, relictis falce & aratro, & manus movere maluiſſe in theatro ac circo quam in ſegetibus & vinetis*: eſt autem pariter non ignotum, illos iſthac nova mere urbana & deſide vita dominatui factos oportunos, tandemque in ſævum illud Cæſarum imperium recidiſſe. Inſtituerunt autem & aliæ fortiſſimæ prudentiſſimæque gentes olim ad priſcum illum Romanum morem civitates ſuas, & pace belloque juxtim floruerunt. Quin imo nec hodie tales omnino deſunt, quamvis ſint pauciores; magno ſuo malo. Quod autem omni libertatem amanti reipublicæ proſit, civium quamplurimos agro colendo operam impendere, quandoquidem ſapientiſſimis quibuſque legislatoribus, quodque maximum, ipſimet Hebræorum reipublicæ ſummo conditori Optimo Maximo Deo, nec non civilis diſciplinæ potiſſimis eſt magiſtris probatum; indecens forte fuerit, præter Romanos populum alium in teſtimonium hîc adducere, illi ſaltem rei quam nunc ago defendendæ: neutiquam ſc. infra Tuam Illuſtriſſime Comes dignitatem, multo minus meum citra officium eſſe, eorum circa quæ libelli abs me editi verſantur curationem. Et verò non equidem hoc volo, ipſiusmet rerumpu-

blicarum rectricis ſcientiæ, aut rempublicam regentium muneris proprij eſſe, vel agrum vel ſi quid eſt ejus rei aliud colere, aut rem domeſticam probe exercere; tantum hoc perſuaſum opto, ne quidem tale quid reapſe agere hominem dedecere reipublicæ gerendæ vel ſtudioſum vel doctorem, multò minus in ejuſmodi argumenti ſcriptis nonnihil occupari. Eſt autem non illud duntaxat veritati conſentaneum, ſed adhoc longe eſt veriſſimum: haud poſſe omnia reipublicæ alicujus rectè adminiſtrari ejuſmodi negotiis ignoratis, adeoque hactenus ſaltim Te, Illuſtriſſime Comes, qui & Regiis & propriis ſubditis plurimis imperas, omnino decere hujus ſimiliſque argumenti libellos habere in pretio; ut & Philoſophum civilem profeſſi eos commendare. Qualecunque ſcil. fuerit reipublicæ genus, ſive ad communem populi ſive ad imperantium utilitatem primò atq; per ſeſe compoſitum, hoc in univerſum omnibus convenit, nihil negligere, unde aut vitæ aut magnarum quoque rerum gerendarum aliquod ſubſidium poſſit comparari. Ea ſane propter noſtra etiam hac tempeſtate prudentiſſimi quique rerumpublicarum nonnullarum rectores, in talibus noctes dieſque verſantur, hoc indefeſſo agunt ſtudio,

dio: ne ſcilicet deſit ſuæ cuique reipublicæ civilis felicitatis ſaltim αὐτάρκεια, imò ut ſuperet quoque in magnorum expediundorum nervum abundantia. Quod non idem & reliqui agant, imperitiæ aut ſocordiæ (ſi quod res eſt licet profari) argumentum eſt: quantumvis celſo loco poſiti illi credant & ab alijs credi velint ſeſe ſapientiſſimos. Inter alias autem τὰς χρηματιστικὰς aut facultatum quærendarum artes maxime neceſſaria vitæ, etſi non ſemper quæſtuoſiſſima, eſt ruſtica diſciplina; ſive quâ terra colitur, ſive qua aluntur pecora, ſive denique illa quæ villaticis paſtionibus vacat. Ideoque prudentis eſt reipublicæ rectoris, bonis legibus præmiis item & pœnis id ſtrenuò agere, uti illa quam utiliſſime exerceatur: utque in id civibus in promptu ſint commoda talium præcepta. Quâ in re exemplo præivit Senatus Romanus cùm conditis præclaris legibus & Cenſoria ſeveritate etiam huc flexa (nam *agrum male colere Cenſorium probrum* ait Plinius) tum Magonis opere ruſtico ex Punica in Latinam Linguam verti juſſo. Paulo ante id verbis Columellæ indicavimus: pretium videtur autem operæ futurum, idem nunc & verbis Plinii referre. *Magoni quidem*, inquit ille, *tantum honorem Senatus*

ſtatus noſter habuit Carthagine capta, ut cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duotriginta volumina cenſeret in Latinam liguam transferenda, peritisque linguæ Punicæ dandum negocium. Cœterum ruris colendi curam non alienam eſſe oportere à reipublicæ rectoribus, admiſerit quis denique etiam imperitior fortaſſis; rei autem piſcinariæ & piſcationum diverſam admodum eſſe rationem, eòque nec illa quæ hactenus attulimus excuſando, hos libellos edendi Tibique Illuſtriſſime Comes offerendi, inſtituto meo, quidquam facere, idem dixerit. Nec enim ullam eſſe neceſſitatem quæ piſcinarum piſcationumque civilem curam exigat, nec illum hinc, qualis ex ruſtica re accipitur, quæſtum poſſe exſpectari ſive privatim ſive publicè. Verùm ita qui ſentiunt næ illi graviter falluntur; & mirabor equidem, niſi Tu, Illuſtriſſime Comes, qua polles prudentia, illos rideas. Quod ſanè cauſantur de neceſſitate, nihili eſt. Nec enim, quidnam ἁπλῶς ad vitam hominis, ſed quid ad civiliter felicem vitam ſit neceſſarium, eſt attendendum. Felix autem civilis hominum ſocietas multa exigit, non ex vero duntaxat ſed opinione & conſuetudine etiam ſaltim plærorumque: eorum præſertim, qui in fama

ſunt

ſunt melioris cultus. Jam vero vix pecuariæ, quæ citra controverſiam ruſticæ pars, major ad civilem felicitatem neceſſitas eſt quam piſcium: ſi ſane & horum vel ſuppetat vel queat parari juſta abundantia. Fructum autem ſive quæſtum ſi ſpectemus, ante omnia ratum eſſe oportet, pretia rerum ex indigentia quidem vim accipere, ipſam autem indigentiam ſæpenumero hominum falſis etiam & iniquis cupiditatibus æſtimari. Jam vero ex agri & pecuariæ rei cultura ſolet quidem plerumque lautus accipi fructus: interdum tamen ea eſt vilitas terra naſcentium pecudumque, uti nullum ferme operæ ſit vel impenſarum præmium. Id quod illa quæ hodie paſſim in Germania eſt ruris proventuum ratio, nimium quantum atteſtatur. Quid? quod jam tum M. Varronis ævo, in Romæ Urbi vicinis agris, villæ nonnullæ paſtionum ſuarum lucro longe ſuperarint fundos integros centenorum aliquot jugerum: excandefaciente nimirum macelli annonam immenſæ & opulentiſſimæ Urbis magna luxuria. Non quidem fortaſſis hodie idem ex villaticis paſtionibus (ut quæ nunc haud inſtituuntur uſpiam Romano vetere more, nec emptores multos adeo invenerint) exſpectari poteſt; quan-

tum tamen præ ipſis fundis quæſtum ferre ſint idoneæ, ſi in proximo ſint populoſa & divitiarum plena oppida, qualia Holſatiæ veſtræ, Illuſtriſſime Comes, Hamburgum ſunt & Lybeca, minime omnium Te præterit. Ut ad piſces noſtros veniamus & piſcinas: ejuſdem quem ſæpe jam memoravi Varronis tempeſtate; erant quidem dulcium aquarum piſcinæ *plebejæ* duntaxat & *ſine fructu, maritimæ autem Nobilium, quibus Neptunus ut aquam ſic & piſces miniſtrabat, magis ad oculos pertinebant quam veſicam, & potius marſupium domini exaniebant quam replebant*, ac proinde reapſe, ut dicebantur, *amaræ* erant. Verùm illud quidem piſcinarum ſatum uni tum Romanæ luxuriæ acceptum fuit ferendum, non juſtæ æſtimationi aut recto uſui. Et vero ſaltim antiquiſſimi Romani ſolas piſcinas dulces habuerunt, marinas ignoravere; fuitque illud indubie cum eorum utilitate conjunctum; etſi illi in iis duntaxat ſqualos ac mugiles (qui piſces ſunt proprie marini) aluerint, & Varronis ævo nullus rhynton aut nebulo non duxerit, *utrum his piſcibus ſtagnum haberet plenum an ranis, ſua nihil intereſſe*. Quantumvis etiam illo tempore dulces piſcinæ fuerint plebejæ nec magni fructus, non potuerunt tamen

men illæ tum etiam ſaltim plebi non fuiſſe commodo. Quod autem vili tum fuerint æſtimatæ, ſoli luxuriæ debetur: quandoquidem nempe ſoli marini piſces, eorumque non niſi rari, habiti tunc ſint in pretio. Nec enim vel in medicis præceptis illius ævi, eorum piſcium qui in ſolis aquis dulcibus degunt, ulla inter cibos reperitur mentio. Fuit enim quidem Romæ in laude inter duos pontes in Tiberi amne captus lupus; ſed illo etiam nomine pelagius quidam ἀνάδρομος piſcis fuit appellatus, non lucius noſter: qualis nimirum ille eſt, qui circa Hilligelandiam & Albis oſtium capitur, Wolf vulgo nuncupatus, atque ab Schonefeldio depictus. Lucius enim noſter Auſonii quoque tempore, id eſt ſub finem quarti Chriſtiani ſeculi, quamvis Moſella illum genuiſſet,

nullos menſarum lectus ad uſus.

Solam Percam fluviatilem (eſt enim & marina) etiam ipſam tamen olim illaudatam, idem Auſonius hiſce verſibus commendavit:

Nec te delicias menſarum Perca ſilebo,
Solus puniceis facilis contendere mullis,
Amnigenos inter piſces dignande marinis.

Nam neq; guſtus iners, ſolidoq; in corpore partes
Segmentis coëunt, ſed diſſociantur ariſtis.

Sed & ſalſas piſcinas non equidem arbitror olim, ad exemplum Luculli Hortenſii & Hirrii, ab omnibus aliis fuiſſe habitas. Cato utique tutor Luculli, qua erat ſevera virtute, piſcinas tantopere Lucullo adamatas tantiſque cultas impenſis, pupilli in uſum grandi ære ſeſtertium millium quadringentorum venditavit: & Hirrii villam intra quam modicam quadragies piſcinæ vendiderunt. Caſſiodorus certe, cum in monachorum ſuorum commoda marinæ aquæ condidit piſcinam, non Luculli Hortenſii aut Hirrii luxuriam ſed vitæ uſum eſt ſectatus. Non etiam cauſſæ quidquam eſt, cur de piſcinis, dulcibus aut ſalſis, earumque uſu, Romanorum illorum veterum judicio nitamur: quum hodie res ipſa illorum ſententias tantum non dementiæ convincat, per univerſum terrarum orbem. Vbivis enim non pelagii ſoli piſces ſed dulcium quoque alumni aquarum in victu ſunt, nonnulli & in deliciis. His etiam plæræque ſtipantur piſcinæ, non in mediterraneis duntaxat locis ſed maritimis. Adhoc ipſi maris accolæ quamplurimi cyprinum,

aut

aut lucium, aut percam, aut troctam, aut cobitidem, ex dulci petitum aqua, non dubitant cum marinorum optimis contendere, quidam & præferre. Nec ſalubrium peritiſſimi quique ex Medicorum familia æſtimatores, non idem ſentiunt. Cum porrò quidam piſces in ſalſis nati aquis etiam dulces ferant, imo in iis gliſcant; licet utique, ſicubi commoditas ferat loci, etiam id generis piſcibus ſtagna & piſcinas dulcium aquarum inſtruere. Id quod à Romanis in Italia, quam utrinque Tyrrhenum & Adriaticum mare alluit, olim quoque eſſe factum, prius quam lautitiæ locupletum ipſa maria in piſcium receptacula feciſſent claudi, ex Columella novimus. Namque non piſcinas tantum ſuas mugilibus ac ſcaris, ſed quos natura etiam fecerat lacus convectis marinis ſeminibus repleviſſe: inde Velinum, inde Sabatinum, inde Vulſinenſem & Ciminum, lupos aurataſque procreaſſe, ac ſi qua ſint alia piſcium genera dulcis undæ tolerantia: præclare ab illo eſt proditum. Non eſt, fateor, etiamnum illud multo in uſu, neque commode in mediterraneis ubi mare eſt remotum poteſt fieri: alicubi tamen lacus & piſcinæ aquarum

dulcium in id ſunt aptiſſimæ. Quantumvis porro Lucullianæ piſcinæ nulli fructui ſed oneri fuerint; nihil vetat tamen, ſalſas parare piſcinas utilitate dulciſſimas. Nec enim neceſſum eſt in id alta littora aut montes perfodere, quod factum à togato Xerxe (hoc enim fuerit cum invita luctari natura) ſed claudi queunt in illos uſus modice flexuoſi maris ſinus, niſi prohibeat vel àquarum profunditas, vel excurrentium laterum nimia diſtantia. Jam verò quantus jam tum, in hac noſtra præſertim Germania, (hæc enim fortè præ aliis quammultis regionibus ea parte eſt dives) capitur quæſtus ex dulcium aquarum piſcinis earumque propriis alumnis, quales cumprimis ſunt cyprini & lucij! Quin multis in locis ex iis longe plus proventuum accipi ſoleat quàm ex fundis quamvis ampliſſimis, citra arbitror controverſiam eſſe. Quid autem exſpectandum, ſi lacus aut ſtagna omnia, ſteriliora alioquin apta tamen piſces alere, varij generis ſeminibus fœcundentur? Quid ſi in dulces ejuſmodi aquas transferantur marina? Quid ſi vel oſtrearum hodie inſtituantur vivaria? ad exemplum ſcilicet Sergii Oratæ, quem ex tali ingenio magna percepiſſe

cepiſſe vectigalia teſtis eſt Plinius. Quid ſi pelagii piſces infra marium clauſtra recipiantur? Quam in rem, Illuſtriſſime Comes, Cimbrica Cherſoneſus veſtra, ſi qua regio alia, longè eſt aptiſſima. Hæc ſanè liquidum faciunt, ex piſcinis uberrimum poſſe quæſtum accipi & publice pariter & privatim. Simul vero inde eſt manifeſtum, curam piſcinarum non tantum non dedecere reipublicæ adminiſtratorem, ſed etiam eſſe in ejus officio, non minus atque rerum aliarum omnium civili vitæ commodarum. In univerſum autem piſcationes in fluminibus, lacubus, & mari, ubicunque ipſiuſmet naturæ benignitate utilium eſt piſcium abundantia, magno ſolent eſſe quæſtui, & iis quorum in aquas iſtas ac littora eminens eſt dominium, & piſcantium vulgo, & captorum aquatilium emptoribus. Ac poſtremum quidem: quandoquidem opulenta talium per longe diſſitas regiones commercia crebro inſtituuntur, nec cedunt piſces in victum ſolis vicinis aquarū accolis. Quod Septentrionalis Oceani cumprimis eſt beneficium, in harengis, aſellis & cetaceis. Quanta autem ſimul populi multitudo alicubi unice inſervit piſcatoriæ rei, atq; inde ſibi victum parat! Autor libelli Batavice conſcripti De Eo Quod Intereſt Hol-

lan-

landorum reipublicæ, vir magnæ profecto prudentiæ, non dubitavit profiteri, quadringenta & quinquaginta millia unius Hollandiæ incolarum ex ſolo marinæ piſcationis negotio vitam ſuam liberaliter tolerare. Quam utilis autem iſti reipublicæ eſt populi, præſertim ejus qui per varia maris diſcrimina & aëris injurias compoſitus eſt ad claſſem bellicam, cujuſmodi ſunt nautæ & piſcatores, ingens copia! Ut taceam nunc, quæ hinc ut & ex piſcium commerciis accipit illa civitas vectigalia. Ipſi Ordines Hollandiæ editis tabulis ultro profitentur, harengorum piſcaturam & negotiationes unam eſſe columnarum ſuæ reipublicæ. Ad exemplum illud quem librum, Daniæ & Norvvegiæ regnorum bono, S.R. Majeſtati ex ſacramenti fide ego obtulerim, vidiſti Comes Illuſtriſſime & calculo prudentiſſimo tuo approbaſti. Nec enim vel hic diſſimulo, illa piſcatoria ipſiſmet Indicanis, aut aliis etiam longinquis, quæ populum minus formant ad rem bellicam aut illum procul à patria removent, mercaturis me longè præferre. Quandoquidem autem uſque adeo multum intereſt civilis ſocietatis, piſcationes & rem omnem piſcatoriam, ubi commodum eſt, exercere; utique itidem liquet, etiam horum cura-

ratio-

rationem non tantum non infra officium eſſe Politici viri, ſed illam operam ipſi ratione muneris quo fungitur omnino incumbere. Tantum abeſt itaque, horum de re piſcinaria libellorum in nomen tuum, Illuſtriſſime Comes, editione quidquam indecens abs me eſſe commiſſum, ut potius laudem fortaſſis merear, ſi magno ſtudio ſatagentem commodorum S. Regiæ Majeſtatis, ad piſcinarias curas molliter flexerim. Et verò non temere ulla Europæ regio eâdem eſt cũ Norvvegia & Cimbrica Cherſoneſo nonnulliſq; Daniæ inſulis ad piſcinas & piſcationes opportunitate. Nulla majorem hinc utilitatem polliceri ſibi poteſt. Indubiè igitur monitore Tibi quidem, Illuſtriſſime Comes, opus non fuit ad talia curanda: ſed qua induſtria Regiis in univerſum omnibus pacis bellique rebus invigilas, hæc etiam tuopte inſtinctu agis. Accedit quod à piſcinis lautiſſimis, cum alibi tum in tuo noviter parto Comitatu Rixingenſi, privatim ſis inſtructus præ quamplurimis aliis, & illa ſit Nobilitatis Sleſvvico-Holſaticæ laus communis, ſimul priſco obſtagii vinculo fidem contractuum ſervare,

& in ſplendida quamvis vitâ ut rem domeſticam reliquam ita & piſcinariam, ceu gnavos decet patresfamilias, eo quo par eſt ſtudio exercere. Eapropter ſane arbitror equidem Tibi, Comes Illuſtriſſime, libellos hoſce etiam gratos futuros: interque eos Dubravium præcipue & Heresbachium, quandoquidem de Cyprinis Luciis & Troctis præcepta illorum ſunt noſtris moribus magis conſentanea. Etiam reliqui tamen, præſertim Varro Plinius ac Columella, placebunt ſcio: quâ parte illa docent, quæ hactenus quidem non ita ſunt in noſtræ ætatis uſu, cum eximij tamen commodi exſpectatione queunt recipi. Non tamen, quo Tu, Illuſtriſſime Comes, quidquam horum nunc demum docearis, mitto piſcinarios hoſce libellos: ſed, ne quid diffitear, citra animi primam quidem intentionem id nunc accidit. Jampridem ſcilicet amavi & in pretio habui Dubravium, quia ſaltim quæ Cyprinorum & Luciorum attinent piſcinas, nemo omni ex ævo ea elegantia & prolixitate perſecutus eſt: præ raritate tamen (nec enim mihi quidem niſi binæ editiones notæ; Vratislavienſis & Norim-

bergen-

bergenſis, eæque jamdudum manibus excuſſæ) nullum in poſſeſſionem meam exemplum potuit venire. Ab amico igitur mutuò aliquod naċtus, haud abs re fore judicavi, ſi illud à me recenſitum denuo in lucem revocaretur. Adjicere autem vetera ac recentiora ejuſdem argumenti alia viſum fuit: quia illa Dubraviana anguſtos intra limites concluſa illuſtratione in majorem uſum indigebant. Vt Tuo autem Illuſtriſſimo nomini omnia conſecrarem, ideo cepi conſilium: quo & libellos à contemtu indoċti vulgi liberarem, & ſimul mihimetipſi compararem aliquid exiſtimationis. Quis enim poſthac ſpreverit, quod Tu Illuſtriſſime Comes ſerena acceperis fronte? Quis etiam non vel ideo quantivis me cenſebit pretij, ſi aut benevolentia vel etiam honore dignum me exiſtimáveris? Et vero ad illud adſcendiſti faſtigium, & illis fulges muneribus, fide in Regem ac patriam virtute item ac prudentia partis, uti ad tuum judicium quotquot Te novère componant ſuum. Adhoc primo Tibi contigit ſingulari felicitate, recuperare aliquot ſeculis ab Illuſtri familia Aleſeldia neglectum

ctam Comitivam dignitatem. Quod nimirum hujus terræ certa tradunt monumenta, circa Chriſti noſtri annum poſt milleſimum ſexageſimum ſextum, à Theodorico Winzenburgenſi Comite ex Suevia huc deductus eſt Hunoldus de Svvabach dictus, ipſe auratus eques, ſed Comitiva domo de Balthauſen natus: quæ dignitas ad fratrem natu majorem Svvigerum, ex more illius temporis, devenit. Hic ille eſt Hunoldus, qui cum in caſtro Alfeld, quod hodie oppidi forma conſpicuum eſt, feudali beneficio ſedem ſimulque in vicino agro ampla latifundia fuiſſet nactus, nomen Suabachi cum Alefeldia princeps commutavit; cujusque poſteri, quod male ipſis cum Hildesheimenſibus Epiſcopis, Winzenburgenſis Comitatus novis poſſeſſoribus, conveniret, relicto ipſo Alfeldio, circa annũ centeſimum quinquageſimum ſecundum poſt milleſimum, Friderico I Imperante, ſeptemtrionaliores terras incolere cæperunt, in aliquot Illuſtres ſtirpes poſt diviſi. Etſi autẽ Alefeldiorum nemo non hactenus eximio fuerit loco & lauta in re, Tu tamen cùm aliis multis partibus emines, tùm recuperata an-

tiqua illa Comitiva dignitate: quam ut eo recti-
us tuereris, non dubitaſti Rixingenſem quoque
Comitatum Tuo Tibi ære comparare. Quæ pro-
fecto rara eſt felicitas, niſi eſſet infra illa quæ Re-
gi ac patriæ præſtitiſti merita. Licebit fortaſſis
aliàs & illa & dotes Tuas præcipuas ad poſteri-
tatem laudare: hac tamen vice nihil poſſum ali-
ud quàm rogare, uti & hos quos adfero libel-
los & me ipſum gratia illa Tua, qua me hacte-
nus affeciſti, porro proſequaris. Deſino autem
in voto, quo hanc epiſtolam fui exorſus;
nempe fauſta ac felicia quæque omni ſtudio Ti-
bi, Illuſtriſſime Comes, comprecor.

E Tuylpſtediano
28 April. A. 1671.

INDI-

INDICVLVS EORVM, QVÆ HOC LIBRO CONTINENTVR.

Iani Dubravii de Piſcinis libri V.

Marci Terentii Varronis de Re Ruſtica libri Tertii caput XVII.

Lucii Iun. Moderati Columellæ de Re Ruſtica libri Octavi caput XVI *&* XVII.

C. Plinii Secundi Naturalis Hiſtoriæ Libri Noni caput LIV LV *&* LVI. *Cum Franciſci Maſſarii Veneti in eadem capita Commentario.*

Conſtantini Porphyrogenetæ Imperatoris Operis Geoponici liber XX *Iano Cornario interprete.*

Petri Creſcentienſis De Agricultura libri noni caput XXXI. *Libri Decimi caput* XXXVII XXXIIX *&* XXXIX.

Conradi Heresbachii Libri quarti de Re Ruſtica Pars quæ agit de Piſcinis & Piſcium vivariis. Ejusdem Thereutices Pars de Piſcatione.

JANI

IANI DVBRAVII
EPISCOPI
Olomucenſis
DE PISCINIS
LIBRI V.

AD ILLVSTR. V.

ANTONIVM FVGGERVM

Baronem Kircheimij &c.

IOANNES DVBRAVIVS
Dei Gratia Epiſcopus Olomucenſis, Franciſco Thurzoni, eadem gratiâ Epiſcopo Nitrienſi in Vngariâ,
S.

LIbellum hunc de Piſcinis, quem inſtinctu hortatuque memorandi Stanislai Thurzonis, tui quidem patrui mei autem patris magis quàm patroni, ab hinc annos benè multos, privatus adhuc, ad Antonium Fuggerum familiæ veſtræ affinitate annexum ſcripſeram, atque ejuſdem Pontificis mei ſententia ita abſolveram, ut author mihi non ſemel fuerit illius quàm primùm edendi. Sed dum ego, meo more, necto moras, meq;, juxta vetus verbum, ſuſtineo, ut lentè feſtinem: ſecedit interea ex hac vita in meliorem locum, Deo hominibuſque probatiſſimus Pontifex, mihique unà cum diſceſſu ſuo omnem abripit publicandi libelli cupiditatem. Deſinimus enim cupere, amiſſis iis quibus ex animo benè cupiebamus. Iacebat igitur præſens libellus, eodem funere, quo Pontifex meus, ſepultus. Præſertim cùm in demortui locum mihi contigerit ſucceſſio, ut aliam vitam ita aliam diætam poſtulans, atque id inprimis vetans ne à ſacris, quibus initiatus eſſem, delaberer ad prophana ſtudia.

(Vox enim Domini eſt: *Nemo qui manu ſua admotâ aratro reſpexit à tergo aptus eſt regno Dei.*) Si non opportuni importuniq́ue flagitatores me ſupprimendo libello indormientem, vide oro mi Franciſce quo exemplo quave ratione, ad edendum excitaſſent. Exemplum mihi Petri & Thomæ cum filiis Zebedæi obtrudebant: quos omnes ad ſemel omiſſum piſcatum, nihil ad apoſtolicam functionem pertinentem, reverſos eſſe dicebant. Mox rationem ſuper hac re à divo Gregorio redditam adjecerunt, verba ipſius iſta recitantes: *Negocium quod ante converſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt converſionem repetere culpa non eſt.* Quo ego audito ultrà pugnare contra deſtiti. Eo proclivius, quòd hanc victoriam ad defuncti memoriam renovandam ſpectare videbam. Quam memoriam quando non minus tu atque ego ſanctè colas, monimentum ejus præſentem hunc libellum accipe, qui te, præter ea quæ dixi, dulcis quoque contubernii, quod cum eodem Pontifice noſtro æternâ laude digniſſimo complures annos tranſegimus, ſubmoneat; ſimulque ambos nos invitet ad rei familiaris curam, ſine qua hoſpitales, ut decet, adverſus hoſpites eſſe non poſſumus. Vive & Vale. Datum in arce noſtrâ Cremſirienſi, Anno CIↃ IↃ XLVI.

IANI

IANI DVBRAVII
AD ANTONIVM FUGGERUM
de Piſcinis Præfatiuncula.

CVM ſuperioribus diebus, Antoni vir Inluſtris, tuis literis, alteris ad Principem & Mecænatem meum Stanislaum illum Thurzonem, alteris ad me ſcriptis, invitatus amicè & hoſpitaliter eſſem, ut me in Pannoniam ad arcem tuam, quam tibi ære tuo ibidem paraſti, conferrem, ſitum illius & ſtatum conſpecturus; atque ita ego, ut deſiderabas, cùm mea ſponte, tùm Principe ſubmonente, feciſſem, multa ſtatim mihi in ipſo arcis aditu ultrò occurrebant, ac mox complura alia per quatridui ocium à Præfecto arci ſunt indicata, adeò ſævitiâ eorum atque avaritiâ qui eandem arcem antè poſſederunt vexata & afflicta, ut recreari ſingula inſtaurarique poſſe, niſi curâ magnâ majoreque æris impendio, non viderentur. Sed ubi ad extremum cognovi, neque pecuniam in ſumptum, neque dili-

diligentiam atque induſtriam Præfecto ad inſtaurandum quæ proſtrata ibi aut neglecta jacent deeſſe, nihil erat quod amplius dubitarem, quin ita ut oporteret illic accurarentur omnia. Non ideò tamen ſum veritus, ne fierem intempeſtivus, ſi me prætereà in aliquam curarum partem immiſcerem. Ejus præſertim arcis, quam ſciebam eſſe ab initio conditam & poſſeſſam à Conſtantiâ Bohemiæ Regina, quæ Otagaro Regi, cujus complura in Pontifices Olomucenſes extant beneficia, nupſerat. Delegique eam curam potiſſimùm quæ ad piſcinas pertinet, quoniam illas curatione maximè indigere videbam.

De piſcinis autem priſcis authoribus, tametſi res non eſt omiſſa, primoribus tamen vix labris eſt delibata: quia ad palatum non faciebant, tùm dulces quòd ſine fructu eſſent, tùm ſalſæ quòd propter ſumptum amaræ. Quemadmodum M. Varro facetè, ut interdum facere ſolet, commemoravit. At contrà ſe habent noſtrates piſcinæ, ut quibus non eſt tam fructuoſum in latifundiis aliud, quod poſſet facere opes æquabiles: idque facilè licebit ei extimare qui piſcinas inter alia coluerit.

Quare

Quare non ſolùm importunum videri non debet, ſed valdè etiam opportunum, ut tandem portio fundi opulentiſſima ex latebris, in quibus hactenus ſine honore literarum delituit, in apertum proferatur, tuoque primùm, mi Antoni, conſpectui exhibeatur, qui primus mihi author fueris illuſtrandi piſcinas. Etenim anteà quàm tu me ei deliberationi, quæ de re familiari, ad arcem tuam amplificandam, facta erat, intereſſe voluiſti, ne per inſomnium quidem mihi in mentem venerat, ut ego rem piſcinariam memoriæ per literas mandandam ſuſciperem. Sed poſteaquam à deliberatione ita negocium, idque tuo juſſu, agi cognoſcebam, ut omnes rationes conſilij noſtri ad te perſcriberentur; in eaque re, quanquam notam ſatis haberem prudentiam atque diligentiam tuam, nihilo tamen minus admirabar, in tanta domi foriſque cura, tamque varia & multiplici rerum adminiſtratione, tantum tibi ſupereſſe ſtudium pernoſcendi ea quorum procurationem aliis delegaſti. Atque ibi ſimùl cum hac admiratione cupido inceſſit, accuratiùs deliberata pertractandi, ut ſtudio iſti tuo de meliore nota à me

ſatis

ſatisfieret. Nec defuit domi ad hanc rem celeriùs conficiendam hortator Princeps & Pontifex meus, tui amantiſsimus, ut cui tecum & cum tuis neceſsitudo intercedat. Hortator autem? immò verò, quæ ejus eſt comitas, etiam adjutor. Quàm multa ille pro uſu & experientia, quàm memoriter, quàm copiosè de piſcinis diſſeruit, ut tanto mihi uberiorem materiam ſcribendi ſuppeditaret! Sed quid opus eſt Proœmio longiore? Jam ipſe ſuimet tibicen erit libellus: utinamque ejusmodi inflet tibias, cujusmodi libenter audiunt aures tuæ à Muſis non alienæ.

Jani Dubravii
DE PISCINIS
LIBER PRIMVS.
CAP. I.
De Piſcinis earumq́ generibus.

ATque ut inde narrandi initium ſumamus, unde libelli vocabulum proficiſcitur, nempè à Piſcinis: ſanè non alias hic piſcinas vocamus, quàm eas, quas ſic definire videtur M. Varro cum ait: *Piſcinas dico eas, quæ in aquâ dulci aut ſalsâ incluſos habent piſces.* Nihil itaque negocij nobis erit cum quovis alio genere piſcinarum. Sive eo, in quo homines lavant natantque, de quo Cicero: *Latiorem*, inquit, *piſcinam voluiſſem, ubi jactata brachia non offenderentur.* Sive cum illis alijs, in quibus jumenta & pecudes adaquari, anſeres & anates urinari, lupinum & canabim macerari ſpectamus. Sed earum ſolum piſcinarum rationem in præſens habebimus, quæ vivos piſces coërcent & nutriunt, atque inde à Græcis ἰχθυοτροφεῖα appellantur. Quarum duo genera idem M. Varro numerat, dulcium & ſalſarum. Dulces eas eſſe dicit, *quæ in dulci aqua clauſos piſces continent, quales plerumque ac mugiles*, uſque eò à veteribus faſtiditos, ut in contemptum eorum adſcribere hic ipſe Varro iſta audeat: *Quis nunc nebulo ac rhynton non dicit, ſuâ nihil intereſſe, utrum his piſcibus ſtagnum habeat plenum an ranis?* Quin & ipſas denique piſcinas dulces omnes adeo parvi facit, tanquam fructu & dignatione carentes, ut il-

 las

las à melioribus ordinibus ad plebem inconditam releget. Salſas porrò nominat eas, quæ in aqua marina pelagios piſcium greges habent: in hac quondam exiſtimatione tantoque in honore habitas, ut earum ſtudioſi, tum Oratæ, tum Murænæ, ab incluſis ejus generis adamatisque piſcibus, non aliter atque Numantini & Iſaurici à deviſtis gentibus, magno cum ambitu cognominarentur. Nondum videlicet illorum, ita ut noſtris ſæculis, nota exploratáque fuit dulcium piſcinarum tàm nobilitas quàm utilitas. At primùm de nobilitate illarum diſſeramus.

CAP. II.

De Nobilitate Piſcinarum, quas in regionibus noſtris excolimus.

POteſtne majus aliud certiusque nobilitatis piſcinarum dari ſpecimen, quàm id ſanè eſt, quod non ſolum ipſos poſſeſſores amplis cenſibus & reditibus nobiliores faciat, ſed menſores etiam curatoresque ipſarum ex ſervitute aut ignobilitate in libertatem atque ingenuitatem aſſerat? Quàm multos licet apud nos videre, nuper vernas aut agaſones, hodiè unâ vertigine, ut eſt apud Perſium, factos Marcos Damas? Nullam aliam magis ob cauſam, quàm quòd in piſcinarum negocijs procurandis dimetiendiſque inſignem operam navârunt. Imo domini ipſi mediarum facultatum, procurationem piſcinarum, tanquam rem ſplendidam, ultrò arripiunt; gaudentque laudari ab auditoribus, quoties narrant ſe rem ſuam præclarè ad piſcinas geſſiſſe. Juvat & ditiores honoratioresque operi piſcinario interveniſſe. Incidi adeò non ita pridem in Sileſiâ in quendam ejuſdem regionis Principem, more piſcatorum cruribus ocreatum, cum caſu iter per aggerem piſcinæ facerem: audivique habitum hunc piſcatoris ſimulque piſcatum talibus propemodum verbis excuſantem:

Si

Si Principi venatio lepuſculi non eſt inhoneſta, neſcio quamobrem piſcatio Cyprinorum & Luciorum videri debeat pudenda pœnitendaque. Quid, quòd nec Matthiam Panno-niæ Regem puduit ad diverticula piſcinarum ſæpius divertiſſe? & cum omnes ferè ante ſe Reges, qui in Pannoniâ regnarunt, gloriâ rerum geſtarum viciſſet, eundem in hac quoque piſcinariâ magnificentiâ rationem reperiſſe, quâ vel glorioſiſſimos in Bohemiâ vinceret piſcinarios. Ea ratio fuit, ut Mariones, porculo marino ſimiles, in piſcinam quam ſibi ad arcem Tattam extruxerat, ex Danubio deduci juberet; gnarus, in Bohemiâ genus hoc piſcium non inveniri, nec Bohemos ad eam gloriam aſpirare poſſe, ut vivum Marionem in piſcinis ſuis oſtendere poſſent. At ipſe Beatrici Reginæ, Legatoque Romani Pontificis, qui cognatus Reginæ erat, atque multis ex Bohemiæ proceribus, pauló minus ſexaginta ſpectandos in piſcina, quam dixi, propoſuit. Admirationi inter cætera fuit, quod captivitatis impatientiſſimi, carcerem tamen incolumes aliquandiu pertulerint.

Ceterum facta mentione piſcis Marionis, alienum non fuerit indicare Plinij locum, unde ejuſmodi vocabulum deſumpſimus, ut unâ ſimul opera, eundem locum fœde mutilatum in integrum reſtituamus. Apud Plinium igitur *lib. IX. cap. XV.* ubi de piſcibus amnicis præcipua magnitudine inſignibus, nempè de Siluro Nilotico, Eſoce Rhenano, Attilo Paduano, agit, ſic in omnibus ferè, qui editi extant, codicibus legitur: *Et in Danubio mari extrahitur porculo marino ſimillimus, & in Boryſtene memoratur præcipua magnitudo, nullis oſſibus ſpinisve interſitis, carne prædulci.* Hactenus Plinius. Quis iſta, tam male videlicet ſibi cohærentia tamq; abſurda, pauló acrioribus intentioribuſque oculis legens, non videat injuriam inſignem factam eſſe autori? quaſi ille ita ſcribens (*& in Danubio mari extrahitur*) ipſum mare cum Danubio, res utique palàm disjun-

ctas, conjungere voluerit. Ac mox ſubjiciens (*porculo ſimilimus*) porculum cum piſce, cujus nomen ignoraret, comparaverit: denique adjiciens (*& in Boryſthene memoratur præcipua magnitudo*) incertum reliquerit, cujuſnam piſcis iſta magnitudo inter alios à ſe nominatos præcipua eſſet. Sed apageſis hanc tantam negligentiam à viro omnium diligentiſſimo & doctiſſimo. Nos potius negligentiſſimi: qui traditum nobis ab illo vocabulum incorruptum corrumpere, quàm retinere illud incolume, maluimus. Quod mihi tamen inpræſentiarum, poſteaquam res ſe ita obtulit, reſtituendum, atque in ſuum locum, quem vox *mari* trunca & mutila hic intempeſtive occupavit, reponendum videtur. Sic igitur ſincera veraque apud Plinium lectio ſeſe habet. *Et in Danubio Mario extrahitur porculo marino ſimilimus, & in Boryſthene memoratur præcipua magnitudo*, (nimirum ejuſdem Marionis) *quandoquidem magnitudo illius & pinguitudo, ſimiliter ut in Pado Attili, ad mille aliquando libras ingraveſcit.* Atque in hunc uſque diem in Danubio duntaxat & in Boryſthene amnibus capitur talis qualem deſcribit Plinius, nullis oſſibus ſpiniſque interſitis carneque prædulci.

CAP. III.
De Vtilitate Piſcinarum.

UTILITATIS piſcinarum tametſi multa ubique locorum exempla occurrunt; (nemo enim apud nos ſine magna utilitate illas colit,) omnium tamen maxime memorabile exemplum videtur Jani à Berenſteino, Bohemiæ atque Moraviæ Procerum ditiſſimi. Hunc igitur ego certum habeo, ex reditibus tantummodò piſcinarum, quas in Bohemia & Moravia atque Sleſia poſſidet, anno ſuperiore amplius duodecies ſeſterciûm accepiſſe. Hoc eſt, pecuniæ ſummam majorem, quàm erat, qua Senatores & Patricij Romani, vel ab ipſo Augusto

guſto

guſto Cæſare, qui cenſum auxerat, cenſi fuerunt. Confer nunc cum Jani piſcibus L. Luculli piſces, quos M. Cato, dum tutorem pupilli ejuſdem Luculli agit, (nam ipſe Lucullus non in precium ſed in delicias piſces nutriebat,) quadringentis ſeſtercijs, id eſt cenſu equeſtri, vendens, adeò luculenter exiſtimatus eſt rem geſſiſſe, ut illam ſummam M. Varro, pòſt Columella, deinde Plinius, inter exempla referendam cenſerent: cùm apud nos longè majorem in ſingulos ferè annos idem Janus in arcam reponat. Unde ſatis ſuperque poteſt liquere, quàm utiliter piſcinæ in noſtris regionibus excolantur.

Adjiciemus prætereà tamen & Wilhelmi à Bernſteino, ejuſdem Jani Parentis, ſententiam ſuper piſcinis. Rogatus erat, ut diceret quodnam prædium judicaret eſſe maximè fructuoſum? Id quod piſcinis ſcateret, reſpondit. Ac forte tunc coràm duo ex Equeſtri ordine aderant, quorum alter prædium piſcinis vacuum quadringentis ſeſtercijs, alter ſuum cum piſcinis dimidio minus emerat, atque uterque compari ære alieno prægravabatur. Ibi Wilhelmus: *auderem*, inquit, *paciſci cum quovis veſtrûm*, (circùmſtabant autem complures) *depoſito etiam in pignus non vili pignore, quod certe minime facerem ſi penitus mihi notas exploratasque non haberem piſcinas, fore, ut hic ex piſcibus venalibus, quàm iſte ex fœno hordeo & oleribus, multò celerius omne æs alienum cum fœnore diluat. Adeò piſcium quàm aliarum rerum vectigal majus habetur. Nunc audite* (inquit) *quòd piſcinæ neque opera multa neque impenſa coluntur, quemadmodùm cetera in fundo, quòdque minimè omnium tempeſtatibus calamitoſæ reperiuntur.* Denique mihi, *ad eas, quas me habere videtis opes, aditum inprimis piſcinæ fecerunt, hodieque tributum quàm uberrimum mihi pendent.* Cùm non modò verba tanti viri, ſed res quoque ipſa, & divitiæ ex piſcinis comparatæ, fidem orationi facerent: aſſenſerunt omnes, utilitatemque piſcinarum ceteris ex fundo commodis prætulerunt.

Sed poſt explicatam piſcinarum tum nobilitatem, tum utilitatem, congruens eſt, ut originem inſuper earum demonſtremus.

CAP. IV.
De Vetuſtate & origine Piſcinarum.

CAſſius Hemina vetuſtiſſimus annalium author, piſces marinos in mari captos in uſu fuiſſe protinus à condita Roma, prodidit; nulla piſcinarum mentione facta, cúm nullas adhuc Romani frugaliores noverant. Longo dein temporis intervallo Sergius Orata, quem Cicero magiſtrum aſotorum vocat, poſt multa ſecula, nè *gulam Neptuni arbitrio*, ut Val. Maximus ſcribit, *haberet ſubjectam*, primus peculiaria ſibi maria excogitavit, æſtuariis intercipiendo fluctus, piſciumque diverſos greges ſeparatis molibus intercludendo, ut nulla tam ſæva tempeſtas incideret, qua non oneratæ menſæ varietate piſciculorum abundarent. Idem primus oſtreis Lucrinis optimum ſaporem adjudicavit. Primus item vivaria oſtreorum in Bajana regione invenit, ætate L. Craſſi oratoris, ante bellum Marſicum. Qua quidem ætate prior Licinius Muræna reliquorum piſcium vivaria reperit; ut legere eſt apud Plinium. Horum deinde exemplum ſecuta Nobilitas, maxima pecunia ædificatas habebat piſcinas. Hortenſius ſuas ad Baulos, Lucullus ad Neapolim, ubi monte etiam exciſo, majori impendio quàm villam ædificaverat, euripum & maria refrigerandis piſcinis admiſit. Undè à Pompejo Magno Xerxes togatus eſt conſalutatus. Ipſe porrò Cicero omnes eos, qui nimium piſcinis dediti erant, uno vocabulo Piſcinarios cognominat, ita ad Atticum ſuum ſcribens: *Tum autem beatos homines, hos piſcinarios dico, amicos tuos, non obſcure nobis invidere.* Et alibi: *Noſtri autem principes digito ſe cœlum putant attingere, ſi Mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant.* Cujusmodi

modi piſces Hortenſius habebat. De quo Varro: *Celerius*, inquit, *voluntate Hortenſij ex equilis educeres rhedarios ut tibi haberes mulos, quàm è piſcina barbatum Mullum.* Idem Hortenſius Muraenam adeò dilexit, ut exanimatam defleſſe credatur. Dicerem, ob tam intempeſtivam animi molliciem, dignum planè eſſe cenſura; niſi ante eum L. Craſſus Cenſor, muraenam item mortuam, non ſecus ac unicam filiolam, atratus luxerit. Vt facilè appareat, hos piſces cum ipſis piſcinis ad oculos magis quàm ad veſicam pertinuiſſe, & potius marſupium domini exinaniſſe quàm repleſſe. *Primùm quòd ædificabantur magno, ſecundò quòd implebantur magno, tertiò quòd alebantur magno*; quemadmodum belliſſimè ſcriptum reliquit Varro.

Ceterùm quòd ad noſtrates attinet, ut non eſt promptum affirmare, à quò primùm inſtitutæ & quo tempore eſſe cœperint, ità ſatis conſtat, antiquiſſimum illarum uſum in Bohemia & Moravia fuiſſe; atque indè velut è fontibus, diſciplinam illarum ad vicinos Sleſitas, Polonos, Ungaros manaſſe. In noſtratibus autem piſcinis palmam Cyprinus & Lucius piſces obtinent.

CAP. V.

De Cyprino.

HÆſitavi aliquandiu, fateor, num eum piſcem, quem vulgus Carponem vocat, Cyprini vocabulo appellarem. Hæſitandi cauſa mihi fuit, quòd Cyprinum Plinius piſcem vult eſſe marinum. Sed nec Oppianus de illo ſecus atque de marino, ſuo carmine cecinit; addiditque, quinquies eum fœtum uno anno edere: Plinius verò ſexies. Cùm de Carpone opinio ſit, ſemel eum in ſingulos annos aut ad ſummum bis parere, ſtagna præterea & amnes paſſim frequentare. Sed hanc meam hæſitationem, huncque ſcrupulum animo meo injectum, libri tandem Ariſtotelis de *Natura Animalium* inſcripti, mihi

mihi exemerunt; in quibus Ariſtoteles, ipſum quoque Cyprinum aliquoties non inter marinos ſolùm piſces, ſed etiam inter fluviatiles & lacuſtres numerat; & præterea ad eam prorſus imaginem, ad quam factus eſt Carpo, eundem Cyprinum depingit, cum quaternis in capite utrinque branchijs, cum palato carnoſo, cum linguâ quoque carnea & adhæsa, cum ventre pleno ovis milij magnitudine; dein ad eum etiam modum, ad quem Carpo ſolet, Cyprinum juxta littora ſtabulari, & cum parturiat vada petere, caniſque exortu ſyderari, oſtendit. Quæ pariter omnia Carpo ſuſtinet: quia non ſolum par, ſed unus atque idem cum Cyprino, ſolo quidem vocabulo non autem natura diſcretus. Et quoniam vox Carponis barbara habetur, merito ob eam rem videtur eſſe explodenda, & in locum ejus Cyprini ſubſtituenda, quæ tùm à Græcis tùm à Latinis promiſcuè uſurpatur. Nec eſt, quòd partus quenquam moveat, ſi eo ſæpius in mari quàm in piſcinis reſolvatur. Nam cur id uſu illi veniat, ſuò pòſt tempeſtivius dicam loco.

Nunc magis juvat mores Cyprini & dotes contemplari, quod ita à natura factus & moratus ſit, ut ſine ullo maleficio verſetur inter piſces cæteros, nulliquе prorſus aquatilium noceat. Nec enim os illi reſciſſum, aut dentibus armatum, ſed compreſſum & blandum, atque in annuli modum quoties hiat rotundum coloratumque ineſt. Inſunt & dentes in ore gemini duntaxat ijdemque obtuſi. Sed & ſpinæ dorſi hebetes, & pinnæ ſupina parte molles, ac toto corpore lorica ex continuato ſquamarum contextu levis: talis & cauda, quam biſulcam geſtat, eâdemque velut remigio piſcinas placidè pervehitur: idemque in piſcinis ſuo ſucco vivit, abſque domini ſumptu: quin ipſi inſuper domino hanc dotem affert, quòd de ſuo ſaginatus illum delicatè paſcit, dulci & ſuavi corporis ſui paſtu, ſive ille eum ſibi aſſum ſalſumve ſive patinarium condiverit.

CAP.

CAP. VI.

De Lucio.

LUCII quoque piſcis nomen antiquitus non videtur admodum fuiſſe celebre. Vix enim Auſonio antiquiorem dabis auctorem alium, qui ita illum nominaverit. Sed & Auſonius caſu quodam ridiculè potius, quàm aliquâ ratione, à Lucij cujuſdam prænomine deductum eſſe, in ſuo Moſellâ hiſce verſibus canit.

Hinc etiam Latio riſus prænomine cultor
Stagnorum, querulis vis infeſtiſſima ranis,
Lucius, obſcuras ulvâ cœnoq; lacunas
Obſidet. Hic nullos menſarum lectus ad uſus,
Fervet fumoſis olido nidore culinis.

Sic olim forſitan: at nunc Lucius in focis ſanè illuſtribus ferveſcit, legiturque in uſus menſarum quantumvis nobilium. Non tamen is, qui ranis ſit paſtus, aut cœnoſis lacunis merſus, ſed qui in piſcina fluminibus pervia, ideoque gravi odore vacua, fœtu Cyprinorum alitur ſaginaturque. Nam, uti apud Martialem eſt,

Non omnis laudem preciumque Aurata meretur,
Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus.

Sic laudatiſſimus habetur ſapidiſſimusque Lucius, cui Cyprini ſoboles eſca in piſcinis fuerit: celerrime enim ex illa ſimulque tenerrime pergliſcit. Nec dubium, quin ſi ita paſtum Auſonius deguſtaſſet, moderaturus ſibi fuerit à tam intemperanti convitio.

Naturâ autem & ingenio Lucius pariter ferme moratus eſt ut lupus quadrupes. Nam ſimiliter violentus & rapax & maleficus habetur, atque adeò immanis, ut eſuriens, non rarò in ſuum quoque deſæviat genus; nec, niſi etiam in extrema fame, terreno pabulo veſcitur. Hinc Lupum plærique libentius,

tius, quàm Lucium cognominant: quando inter piſces quoque lupos non unum ſed diverſa genera luporum reperiantur, vel Columellâ teſte: qui lupos piſces, qui ſine maculâ ſunt magis quàm varios includi piſcinis ſuadet.

At rogaverit forſan aliquis, quid cauſæ ſit, cur Lucium, quem prædonem atque ſobolis Cyprinorum peſtem eſſe ſciamus, nihilominus in piſcinam illum inducimus? Nimirum; ut eandem piſcinam fætu piſcium ſupervacaneo inutiliter exuberantem illo immiſſo levemus; quò cæteri, qui incremento & ſaginæ deſtinati ſunt, Cyprini, dum liberalius per infrequentiam paſcuntur, celerius etiam nobis grandeſcant & craſſeſcant, atque ita deinde cum ipſis pariter ex ſaginâ obeſioribus Lucijs vendantur carius. Quòd ſi piſcina examinibus piſcium nuper editis libera fuerit, nec opus nec utile eſt ut oves (quod dicitur) lupo committas.

Non mihi tempero, quin ſpectaculum, quod ad vivaria arci Cremſirienſi ſubjecta, dum Stanislaum Thurzonem Pontificem meum aſſector, à me oculis tunc ſpectatum, nunc verbis quoque hoc loco ſpectandum repræſentem. Deliteſcebat in latebris ripæ vivarij diſcors Lucio Rana; cùm fortè Lucius ocioſo ſimilis levi caudæ motu ſummas vivarij aquas ultro citroque ſulcaret, quoad tandem ad locum, quem inſidijs faciundis Rana cæpit, propiùs appelleret. Non omiſit benè gerendæ rei occaſionem Rana, ſed ſimulatque facultatem aſſiliendi hoſtis ſibi oblatam vidit, ità ut erat ſinibus buccarum inflatis, oculisque præ irâ flagrantibus, repente in caput illius inſilit, lateque divaricatis pedibus, frontem circumplexa (vide ſolertiam animalculi!) in ipſos præcipuè oculos Lucij invadit, molliſſimasque & chariſſimas lancinat partes. At ille dolore exagitatus, modò citato per undas curſu ferri fluctuſque circum ſe concitare, modò vertigine rotari, modò fruticum & harundinum, quæ in vivario ſubnatæ emicabant, attritum

tritum quærere, ſi quo pacto malè conciliatum, nullarumque præ ſe virium, inſeſſorem, fronte excuteret. Ceterùm omnes ejus conatus incaſſum cadebant; tàm mordicùs eandem frontem Rana obtinebat, tamque pertinaciter pœnas ab avidiſſimo corporis ſui vexatore exigebat; donec torpeſcentibus ex multa luctâ viribus, ipſe Lucius victus ſuccubuit, ſeque Ranamque unâ in ima gurgitis demerſit. Adhuc nobis omnibus, qui aderamus, eodem loci ſubſiſtentibus, luctatoresque, qui jucundum nobis ſpectaculum de ſe exhibuerant, oculis requirentibus, eccè tibi, Rana ſubitò in altum exilit, moreque victorum ovans, coaxans, vitulansque, rurſus ſe in palatia ſua recepit. Imperat extemplò Pontifex acciri piſcatores, qui Lucio retibus invento, in lucemque prolato, cognoſcendi poteſtatem facerent, quidnam cum illo demerſo actum eſſet. Atque miſer ille utroque lumine orbus extrahitur, non ſine omnium noſtrûm admiratione. At piſcatores vetant caſum mirari; ſe enim crebrò talibus certaminibus intervenire, ſæpenumeroque à Ranis Lucios excæcatos, atque eoſdem emaciatos, piſcari, quoniam amiſſis oculis venari ſibi piſces nequeunt, ſed ſterili tantùm arenâ ventres ſaburrant.

CAP. VII.

De nominibus aliorum piſcium, qui in piſcinas ultrò illabuntur.

NON eſt ſine ratione factum, quòd de Cyprino & Lucio ſeparatim commemoraverimus. Uterque enim eorum, magiſque adhuc Cyprinus, ex illo numero piſcium habetur, cujus inprimis gratia piſcinas ædificamus. Partim igitur honoris amborum cauſa, quando ambo tanquam legitimi coloni in colonias piſcinarias deducuntur: partim etiam ut futuri piſcinarij, naturam & mores utriuſque piſcis cognoſcentes, ſimul

mul notum haberent, quonam modo utrumque pro moribus ſuis tractarent, de utroque ſeorſim egimus.

Nunc in univerſum reſtat dicendum de advenis & peregrinis piſcibus, qui nullo deductore, ſed ſua ſponte, cum ipſis fluminibus in piſcinas illabuntur, illapſique ſicut numerum piſcium in piſcinis ita piſcinarium quoque inde tributum adaugent. Horum de grege ſunt, ut Auſonij verſiculos ex Moſellâ vel truncatim perſequar:

—— virides vulgi ſolatia Tincæ:
Mox etiam Alburni prædæ puerilibus hamis:
Stridenteſque focis obſonia plebis Alauſæ:
Et Perca menſarum deliciæ; ——
Propexique jubas imitatus Gobio Barbi.

Quin ipſe adeò Barbus cum Labro piſce (quem Plinius â cauda placere ſcribit) interdumque & Anguilla cum fluvijs piſcinas ſubit. Cum rivulis autem Haleculæ rivales, Mænulæque & Cammari, ac cæteri ejuſmodi minoris incrementi piſciculi: Nam piſcis, quem Bohemi Pitruſſam vocant, in piſcinis frequens, non alius eſſe quàm Cyprinus creditur, ſed degener, & velut abortivus; quanquam in cibo haud ingratus, præſertim, ſi in craticula torreatur. Nec Charax forma ſtaturaque multum à fætu Cyprini abſimilis, niſi quòd paulò latiore corpore diſtendatur, & dorſum habeat aſperioribus ſpinis vallatum, (undè ei nomen) quòdque juxta caudam ſquamis inauratis magis impalleſcat. Sed & marinus Charax tergo caudaque auri ſimilitudinem gerit, ac præterea purpureis cingulis, purpureisque oculis, ut Ælianus prodit, illuſtratur. Quorum neutrum in noſtrate invenias, ſed neque dentium exſtantium ſeriem. Hunc vernaculum Characem piſcinarij, qui farturæ Cyprinorum conſulunt, ne unquam in eadem piſcina cum Cyprinis commiſceant, diligenter cavent: quòd vel tantillus Charax audeat & valeat tantum præ ſe Cyprinum paſcuis depellere,

pellere, nec tanti ipſe tamen diſtrahi, quanti Cyprinus poteſt.

Ad hunc igitur modum principia de piſcinis ſe habent: nunc reliqua deinceps ſuo ordine conſiderabimus.

Liber Secundus.

POſteaquam ſatis abunde libello priore, ut opinor, ea proſecutus ſum, propter quæ piſcinas habere atque ædificare utile ſit: ipſa narrationis ſeries exigit, ut in hoc ſubſequenti libello, ædificandi illarum ratio demonſtretur. Ne ſi omiſsa ratione eventum, qui ſtultorum magiſter eſſe perhibetur, ſecuti fuerimus, male ob ſtultitiam mulctemur; poſt acceptum videlicet tandem damnum errata corrigentes; cùm antea prudentes cavere conveniat, quàm opus inſtituant, ne quid eorum per errorem committant, quæ niſi cum nova impenſarum jactura corrigi nequeant. Nihil igitur pœnitendum committemus, ſi regulas aquarias, quæ perlibrandis aquis inſerviunt, ſi proportiones & ſymmetrias, quæ excitandis in piſcinis aggeribus neceſſariæ ſunt, in conſilium adhibuerimus. Nam ijs adhibitis, nec minus loci ad ædificium piſcinarum quàm res poſtulat, nec plus quàm opus ſit, ſed id quòd oportet, occupabimus.

Ignotas verò aliquando has ſymmetriæ rationes illis, qui primi authores piſcinarum apud nos extiterunt, fuiſſe, argumento fuerit, quòd hodie quoque multa in antiquis piſcinis reprehenduntur & deſiderantur, ac ſubinde in melius renovantur, & ad legitimum commenſum rediguntur, magiſtra, quam diximus, ſymmetria.

Sed eam, qui ſe nunc in piſcinis dimetiendis exercent, non ſecus atque quondam Juriſconſulti Faſtos dies, occultam & tacitam habere cupiunt: nimirum, ut ad eos, tanquam ad

oracula, vulgus piſcinariorum conſultum confugiat. Ignoſcent tamen ejuſmodi nobis, ſi ad Gn. Flavij imitationem hîc nos compoſuerimus: & quemadmodum ille ſingulis diebus ediſcendos Faſtos populo propoſuit, ità nos quoque rationes eorum, qui ad commenſum piſcinas architectantur, omnibus in medium proponemus, cornicumque hîc oculos, ſimiliter ut Flavius in Faſtis (Cicerone prodente) configemus. Inprimis tamen ſitu piſcinarum explicato.

CAP. I.

De ſitu & poſitione ac ædificatione Piſcinarum.

COlumella piſcinarum mentionem faciens: *Hujus autem*, inquit, *rei quaſi primordium eſt, naturam loci contemplari, quo piſcinas facere conſtitueris.* Rectiſſimè hæc Columella: quippe ea demum piſcina bene facta poſitaque & conſtituta erit, quæ loci naturam ſitumque ei congruentem nacta fuerit.

Natura loci pinguior quàm macrior, ſucculentior quàm aridior, rarior quàm denſior, magis habilis piſcinis Cyprinorum, qui terreno maxime aluntur paſtu, habetur. Non minus probabilis eſt, glareoſa, calculoſa, ſabuloſá; ſi tamen hæc ſingula pingui gleba permixta fuerint. Nam eadem nuda jejunaque valde reprobantur, propterea quòd alendo Cyprino minimè ſunt accommodata. Repudiandus eſt ſimiliter locus ſcaturiginoſus, & in quo ſemper uligo cænoſa conſiſtit, ut in cujus ſuggillationem paſſim, vice proverbij, jaciam: *qui in luto ſeminat lutum metet.*

Ipſe verò ſitus ad piſcinas erit aptiſſimus, qui ſe planicie æquiſſima, aut exiguè prona & devexa, ſpacioſiſſime in campo, vel prato, vel nemore, explicaverit. Nec eſt, quod te jactura hordei, fœni, lignorum, à propoſito deterreant. Nam ſi ad utilitatem rationes tuas dirigis, carior eſt metreta Cyprino-

prinorum, quàm meta fœni, aut manipulus hordei & lignorum. Modò vide, ut ad conſtitutam piſcinam fluvius proximè adfluat. Quòd ſi ille aberit:

At liquidi fontes, & ſtagna virentia muſco

Adſint, vel tenuis fugiens per gramina rivus:

quoniam ſine humore vita piſcium planè caduca. Proin audacis eſt in ſiccaneis locis piſcinas ponere, ſolasque de cœlo aquas expectare: quum ſæpius pluviæ, ac præſertim in æſtate, ceſſare. piſceſque interim aquarum defectu interire ſoleant.

Quocirca non improvidè veteres agebant, qui plerumque in locis littori vicinis ſuas conſtituebant piſcinas, ne unquam copiâ aquarum deſtituerentur. Sed neque tanto locorum delectu illi, neque eo quo nos modo piſcinas ædificabant. Illi enim petras & ſaxa, aut loca ſterilia, & ex quibus, propter exilitatem ſoli, nullos alios fructus percipiebant, excavandis piſcinis deligebant: quia de ſuo alimentum ſuppeditabant piſcibus incluſis. Nos contra nullum magis, quàm ſterilem & calamitoſum locum refugimus: quia talis maximè Cyprino adverſus: cum ſucco terreno careat, undè alitur & pingueſcit Cyprinus. Illi rurſus piſcinis ſuis alte perfoſſis ripas quoquoverſum circumdabant, nec ſecùs aquas clauſas in eis, atque in puteis fieri ſolet, pari circum undique libramento tenebant. At nobis nihil minus expedit, quàm habere piſcinas nulla parte vadoſas. Vada enim amat noſter Cyprinus; & in vadoſis paſcitur locis, ibidemque fœtificat. Idcircò ut huic piſci reſpondeant piſcinæ, modus earum formaque ita conſtituitur; ut extra aggerem, quem à fronte Lunæ modo in cornua curvatum, interdum etiam à latere ſecundum flumen rectum, adverſis apponimus aquis, nihil præterea habeant

bèant clauſum,ſed ſine ullo obice & ſine ullis ripis pateant omnia, libereque per planum & apertum ſolum aquæ diffundantur, uſque ad extremas oras à libratore in piſcinis præſcriptas.


CAP. II.

De Librandis aquis in piſcinis, & inſtrumentis ad hunc uſum appoſitis.

Libratoris officium eſt, ut is locum ponendis piſcinis aptum crebra itione inſpectioneque reviſat; & poſteaquam ille ſæpiùs inſpectus ſatis placuerit, tum deinde, libellis aquarijs advocatis, futurum ut in illo aquarum faſtigium perlibret: ac mox judicet, quàm altè, pro faſtigio aquarum reſtagnantium, agger in piſcina attolli debeat. Librantur autem aquæ, Vitruvio authore, Dioptris, aut Libris aquarijs, aut Chorobate. Sed diligentiùs id effici idem Vitruvius per Chorobatem ait, quòd Dioptræ Libræque fallant. Ejus Chorobatis exemplar lib. VIII. benè multis verbis, & ipſo inſuper ſchemate, depingit. Habemus nos quoque illum in uſu quaſi promiſcuo; ſicut libras etiam, ſicut item Dioptras, ab eodem deſcriptas. Sed quiſnam eſt, qui Chorobatem longum circiter pedum viginti, facilè ſecum per vias circumferat? Igitur nos Dioptræ machinulam, haud majorem palmis duobus, qualem vel in ipſa crumenula quiſq; ſecum, quoquo libitum fuerit, geſtare, ac ſtatim piſcinam metiri poterit, in medium producemus. Ea ſic conficitur. Lamella ex ære, aut è ferro, longa digitos ſeptem vel octo, lata digitum annularem, æquiſſimo lævore ducitur; eiq; ancones in extremis capitibus, æquali item modo lævigati atque in medio perterebrati, ut viſum tranſmittant, apponuntur: pòſt in latere medio virgula ferrea prominet, atque orbicu-

biculum in apice, & paulò inferius ſuſpenſum filo perpendiculum ſuſtinet. Ad eum, ad quem, ceu vides, effinximus modum. Dioptra autem piſcinarij ut fundamento artis ſuæ utuntur: haud ignari, falſa judicia habere oculorum aſpectus ſi regula deſtituantur.

Schema Dioptræ.



Si quando igitur Dioptrâ iſtâ uti in perlibrandis piſcinis volueris; fac ut primùm perticam, certa cubitorum menſura dimenſam, ad manum habeas; tum deinde ut eandem perticam eò loci ſoliquc conſtituas, undè commenſum auſpicaberis; ubi id peregeris, ſtylum ferreum in illam ipſam perticam ad certam rurſus cubitorum menſuram defiges. Ex quo ſtylo Dioptra tibi orbiculo ſuo ſuſpenſa pendeat, ſed ad perpendiculum. Neque enim aliter certam ſignificationem faciet, niſi recte atque æquabiliter fuerit appenſa, & mox ad oculum, qua parte ancones feneſtrati ſunt, admota. Debet etiam tunc dies placidus & ventis tranquillus eligi. Quò minus enim ventorum flatus regulam interpellaverint, eò celerius ac melius libratam habebis piſcinam. In qua ſi puſilla tibi metienti area occurrerit, uno protinus intuitu perlibratum aquæ faſtigium videbis: Sin majör area obvia fuerit, quàm ut ſemel tota ſub conſpectum venire poſſit, aut eandem fortaſsè ſylvæ quoque inumbraverint & impediverint, tum à primo gradu tantum ſpacij perlibrabis, quantum oculus videndo aſſequi valebit. Atque ita deinceps in ſecundo gradu, pòſt in tertio facias, donec ſuſceptum opus abſolveris. Semper in fine cujuſque ſpacij altitudinem, quam Dioptra ſingulis intervallis oſtenderit, ſingulari numeri nota adnotans; ut tanto certiorem tibique notiorem à primo gradu uſque ad ultimum totius areæ commenſum habeas, ſciasque, quàm altum aggerem, juxta ejuſdem commenſum, in piſcinâ te extollere oporteat. Nam ut exceſſiſſe ita non impleſſe officij partes, minimè officioſum; ſi officium à ratione & modo, unde oportet, deducimus.

CAP. III.

De ſymmetriis ad quas agger attollitur.

POſt aquas perlibratas, ſequitur cura excitandi aggeris, qui eaſdem

eaſdem aquas mole oppoſita coërceat, & contineat. Cæterum non temerè, ſed ad ſymmetriam exaltari agger debet. Symmetria autem ejus facilè ex modo & forma colligitur. Modus altitudinis in aggere eſt, ut ne minus uno cubitu, neve multò plus duobus, ſupra faſtigium aquæ ſublimetur. Ad formam verò ejus, quam perpetuò ſic obtinet, ut *paulatim trahat anguſti faſtigia coni*, (quemadmodum cecinit Lucretius) in hunc modum proportio inſtituitur. Ut quanta altitudo aggeris fuerit, tanta ejuſdem latitudo fiat, eò loci quò agger in conum ſuperne contrahitur; & ter tanta craſſitudo ubi idem agger in fundamento dilatatur. Atque ut iſta res exemplo magis liqueat, faciamus ut agger in altitudinem trium cubitorum exaltetur. Hic ut ſuam retineat ſymmetriam, tres item cubitos in ſuperiore ſuperficie, & novem in inferiore fundamenti planicie, habere debebit. Perpetuò videlicet ratio ſymmetriarum in aggere erigendo id poſtulat, ut quem numerum cubitorum altitudo ejus complexa fuerit, eundem latitudo, quæ in culmine dilatatur, ut comprehendat, ac ter tantum ſpatij fundamento ſemper attribuitur. Videtur autem & ipſa natura hanc rationem comprobare. Quæ, ut Vitruvius meminit, hunc ſtatum omnibus ferè arboribus attribuit, ut craſſeſcant à radicibus, & paulatim in altitudinem ſe erigentes coarctentur, propterea quòd oneri ferendo quæ inferiora ſunt firmiora debent eſſe quàm ſuperiora.

Cæterum de longitudine aggeris data opera dicere ſuperſedimus. Quia quàm longum illum eſſe oporteat, id modus videlicet ac laxitas piſcinæ definiet. Laxior enim piſcina longiorem aggerem, contractior breviorem, deſiderat. Atque utrumque ſpatium, quando ſymmetria non indiget, quivis unus è populo metiri ſibi illud facilè decempeda vel funiculo poteſt.

CAP. IV.

De fundamento aggeris & ſuperſtructione.

QUum primum excitandi aggeris exordium, ſicut aliorum quoque ædificiorum, in fundamentis conſiſtat; videtur eſſe conſentaneum, ut ab initio etiam ponendorum in piſcinis fundamentorum ratio tradatur. Nam inveniuntur nonnulli, qui fundamentorum cura omiſſa aggerem in ſummo ſtatim areæ ceſpite erigere incipiunt. Sed perperam; quoniam ſine fundamento poſitus agger, nunquamnon vel aquis perſtillat, vel perfluit, interdum etiam ex nimio & aſſiduo humore præceps ruit proſterniturque. Sunt rurſus alij, qui fundamenta moliri eatenus ſatis habent, quatenus in terram ductus aratro vomer deprimitur. Ac fateri neceſſe eſt, tale opus non male ſæpius ſuccedere, ſi pinguis tenaxque humus exarata fuerit. Sed qui impenſas haud reformidant, firmitatique aggeris in poſterum conſulunt, ad has rationes confugiunt. Ante omnia ſpacium fundamenti cubitis metantur. Mox locum in piſcinas proniorem canalibus attribuunt, ut tantò facilius aqua per illos, quoties opus fuerit, ex piſcina delabatur. Poſtea limitem introrſus aggerem juxtà perpetuum ducunt: in quo piſcatores per tempus piſcandi ſtare ambulareque & retia colligere commodè queant. Ac tùm demum fundamenta in medio areæ dimenſæ próſcindunt effodiuntque; latam tribus aut paulò amplius cubitis, profundam tem tribus, ſi macrum ſolum arenoſumque obvium fuerit. Sin mediocre ſe obtulerit, dimidio minus infodiunt, motamque & egeſtam humum rurſus in foſſam regerunt, eandemque crebra fiſtucatione conſolidant, quò valentius robuſtiuſque percolationibus aquarum reſiſtat. Reſiduum terræ crudæ, in area fundamenti relictæ, bipalio invertunt: ut cum

terra,

terra, quam operæ ad exaltandum aggerem carruculis convehunt, promptius coëat & conglutinetur. Paulatim autem agger exaltari atque ſuperſtrui, & ubique locorum per juſtas ſymmetriarum rationes componi debet, donec juſtam altitudinis menſuram adimpleat.

Qua in re ne ſupinis fortaſsè nobis & negligentibus operæ conductæ imponant, exactor peritus & circumſpectus erit adhibendus: qui ſubindè novum opus circumſpiciat, ut æqualiter pro ſuâ ubique proportione ſuccreſcat, ne in ullam partem promineat ruinæ obnoxiam, ne in rimas abeat, neve lacunis deſidat & dehiſcat, ſed ut potius crebris carrucarum vectionibus, pedumque impreſſionibus, agger conculcetur & conſolidetur. Faciunt enim hoc ſæpius operæ, ubi cuſtos abeſt, quò celerius videlicet minoreque labore agger illis aſſurgat, ut nunc in cavo loco ſtipitem truncumque arboris grandiorem adobruant, nunc inanitatem hujuſmodi ſummo tantummodò ceſpite contegant; præſertim ubi redemptum minore precio opus moliuntur.

CAP. V.

Quemadmodum aggeris areas metiri, & exinde locare opus debeas.

NE quis per inprudentiam noſtram, in conducendo novo in piſcinis opere, nos capiat frauderque: expedit noſſe ratiocinium, ad areas in piſcinis dimetiendas excogitatum, per quod locatorum conductorumque fraus omnis excluditur.

Id verò duplex in uſu habetur, eorumque alterum funiculis, alterum areolis innititur. Funiculus duos & quadraginta cubitos in longum complectitur: Areola quartâ parte minus, id eſt, cubitos decem & ſemiſſem, compræhendit. Vocant autem piſcinarij areolam, locum juxta limitem aggeris undique quadratum, & à foſſoribus in altitudinem unius cu-

biti infoſſum, ea longitudine quoquo verſus, quam ſtatim dixi, hoc eſt, decem cubitis & ſemiſſe. Atque hanc areolam, quia frequentius quam ad funiculum opus locatur & conducitur, priore etiam loco ſubjiciemus, quo quamque precio locabimus. Juſtum igitur precium in ſingulas areolas limiti aggeris conjunctas habentur quatuor argentei nummi, ejus generis, cujus triginta numero unum noſtratem aureum nummum adæquant. Uno amplius argenteo nummo proximus areolarum ordo accipit: rurſus uno plus tertius ordo: ac ſic deinceps cæteri quoque ordines ſubſequentes, unius ſemper nummi acceſſione intenduntur æquiſſima ratione. Quid enim æquius, quàm ut cum labore aucto ſimul etiam merces adaugeatur? Certum eſt autem, operas conductitias, quantò longius à limite progrediuntur, opuſque conductum ſuo ordine perſequuntur, tanto majorem ex longiore ſpacio capere illas laborem. Sed ne hîc quoque fraus & impoſtura interveniat, rurſus exactor advocabitur; qui cubitum unàque regulam fabrilem, quâ cæmentarij paſſim in pavimentis latere ſternendis utuntur, in promptu habeat. Et ipſe quidem cubitus, intra cavum areæ demiſſus continuò oſtendet, an ſatis ad ſuam menſuram area ſit depreſſa: regula verò, an æqualiter ab omni parte ſit humus ex areola emota evectaque.

Tantum de prima locandi ratione. At altera, quæ ex funiculo ducitur, ut priore eſt ſubtilior, ita non niſi peritioribus in hoc artificio cognita. Semel enim unàque ſummam de toto opere decidit: quia quantum terræ extollendo aggeri opus ſit antè exploratum habet, quàm agger extolli incipit. Sed & in iſta ratione demonſtranda facilimum nos vel imperitis ad comprehendendum ſequemur experimentum. Id hujuſcemodi eſt. Ut numerum duarum latitudinum in ipſo aggere, in fine videlicet fundamenti, cum ſuprema faſtigii componas. Exempli cauſa: ſi faſtigium in aggere cubitos habuerit

buerit latitudinis quinque, ipſum fundamentum ex ratione, quam anteà oſtendimus, cubitos habere quindecim debebit. Fient ex utraque ſumma ſimul compoſita cubiti viginti. Horum dimidia pars eſt decem, quæ cum altitudine aggeris, id eſt, quinque cubitis multiplicata, efficiet cubitos quinquaginta. Eaque rurſus longitudine funiculi, id eſt, duobus & quadraginta cubitis multiplicata, efficiet bis mille & centum cubitos.

Hactenus multiplicatio ſuum habet progreſſum: hanc ſubductio conſequitur, quæ hîc fit per centenarium numerum, qualem unaquælibet areola per cubitos dimenſa obtinet, extra ſemiſſes qui hoc loco non cadunt in æſtimationem facti operis. Centum igitur toties, quoties haberi in tota ſumma ſuperiore poſſunt, detracti ex reſiduo numero, unum & viginti ſuperabunt. Totidem igitur dicemus aggerem longitudinis unius funiculi, altumque quinque cubitis, areolas poſcere, ut ad dictam perveniat altitudinis menſuram. Nunc ſi poſito ad ipſas areolas (ordine quo diximus) calculo, rationes ſingularum ſupputaveris, dein omnium precium in unum numerum coacervaveris: fiet in funiculum hunc conſummatum operæprecium, aurei quatuor & argentei nummi novem. Atque eo precio locari debet præſens funiculus, deindè alius quiſque pro ſuo ratiocinio jam indicato. Niſi fortè accideret, ut caritas annonæ, aut difficultas operis faciundi, quam ſæpe loca paluſtria & ſylvis impedita objiciunt, interveniens, mutare nos legitimum precium coegerit. Tunc iniquum non fuerit corollarij nomine aliquid adjicere; mox etiam cogitare ut novus agger ſtatim circumſepiatur.

CAP. VI.

De aggere circumvallando.

Quemadmodum caſtrenſis agger adverſus hoſtium inſultum, ità piſcinarius adverſus impetum aquarum circumvallari

vallari deſiderat. Ac neſcio, an eo etiam accuratius præmuniri debeat, quò crebrius, & ſine ullis ſtatis inducijs, ab incurſu fluctuum vique tempeſtatum aſſilitur &. oppugnatur.

Ejus igitur circumvallandi ratio rurſus duplex occurrit, ex duobus ſtructuræ generibus conſtituta. Utriuſque generis vocabula à Vitruvio mutuabimur, unumque eorum reticulatum, alterum incertum, appellabimus. *Reticulatum* id erit, quòd modo quodam ſepis, palos in piſcina conſtitutos arborum truncis ſtipitibusque irretit atque implicat. *Incertum* verò, in quo nullo diligentiore contextu ſed acervatim tumultuarioque opere aliæ ſuper alias arbores pone palos abjectæ conſtipantur. Idque genus nunc à pluribus uſurpatur, non tam celeritatis quam etiam firmitatis cauſa. Sed utrum horum generum tibi elegeris, ita palos deponas conſtituaſque, ut modico inter ſe diſtent intervallo. Vt proin in aggerem (pro ſitu videlicet & forma ipſius) procumbant, utque in terram fiſtucis adigantur, & tanta firmitudine defigantur, ne quati locoque moveri queant. Non enim vis aquarum ſola aſſiduo appulſu palos labefactat: ſed ſuo quoque tempore glacies oborta, & cum ipſis palis per gelua, quaſi quibuſdam vinculis, connexa, ſubeunte ſubito flumine extumefacta, & ipſa in altum tollitur, & unà ſecum vallum & ſepta attollit, ac totum non raro opus diſſolvit diſſipatque.

Quocirca magis probandum eſt conſilium eorum, qui perennitati conſulentes è ſaxo potius quam è ligno vallum conficiunt. Quantumvis enim lignarium conſolides opus, non longo tamen tempore illud perennabit, vel à fluctibus laxatum, vel à humore corruptum, vel, ſi alia calamitas defuerit, ipſa vetuſtate putrefactum. At ſaxa maximè firmas ad æternitatem habent virtutes, Sed cum non ubique locorum adſit ſaxorum copia; atque ubi etiam illa adeſt, multos tamen magnitudo impenſarum ab ædificando lapideo vallo deterret:

abſur-

abſurdum non fuerit, ijs, qui aut ſponte aut neceſſitate ad ſylvas confugiunt, delectum arborum demonſtrare, quæ ad vetuſtatem magis aut minus habiles præſertim in humore habentur.

Dum prius moniti mihi ſint piſcinarij, ut loca in piſcinis aperta omnia, ad quæ piſces fugam meditantur, denſioribus ſepibus obſepiant; vinciantque canales confibulis ligneis, ne loco cedant aut dehiſcant.

CAP. VII.

Quænam materies ad ſepta piſcinarum magis idonea.

IN piſcinis Quercus uſu optima ad cuncta prorſus opera: eò quòd ſine vicijs diutiſſimè perennat, ſivè aquis immerſa ſivè terra adobruta fuerit.

Proximum, ad perferendam in humore ætatem, locum Abies obtinet; eaque ratione ad canales, quos in piſcinis aggeri ſubſternimus, extruendos, poſt quercum maximè legitur. Similiter ad embolum erigendum, (vulgò Statilinum appellamus,) columellam videlicet illam canali ſuperſtantem, orique ejuſdem injectam, ne aquas canalis, niſi nobis volentibus permittentibusque, vel hauriat vel evomat. Coràm aderam, cùm agger ab imo ſolo viciatus in piſcina mea Blanenſi inſtauraretur. Ibi me inſpectante canalis abiegnus terra erutus fuit, libro & ligno ita virens, ut exiſtimarem, non pridem ſepultum fuiſſe. Ecce tibi è proxima moletrina ſenex ſupervenit, intuituſque canalem: *Hunc ego,* inquit, *ante annos circiter quinquaginta obruendum hoc loci meis manibus adjuvi.* Cum ad hæc ſubriderem: *haud nugor,* inquit, *here*: ſtatimque indè abiens in vicum ac paulò poſt revertens, adduxit tres præter eum ſecum compari ætate teſtes, eadem de ſenecta canalis commemorantes. Venit tandem mihi in mentem, me neſcio

quid ſuper hac re in Plinianis libris legiſſe. Nec memoria ſefellit. quippè lectionem repetendo, iſta apud Plinium lib. xvii. verba de Abiete ſcripta reperi: *Tradunt & Abietem circa germinationes decorticatam, qua diximus luna, aquis non corrumpi.* Sed viderint, qui Plinio authores fuerunt, cur abietem decorticandam tradiderint: à piſcinarijs noſtratibus ſtat experimentum, Abjetem cum ſuo cortice aquis demerſam, longius quàm delibratam perdurare.

Durat & Alnus in humore, durat Pinus, Fagus, Juglans, Juniperus. Ipſum autem robur magis in terra quàm in aqua defoſſum firmum habetur. E diverſo Ulmus in perflatu diu incolumis permanet, ideoque ad incilia, & ſepta, & alia in piſcinis neceſſaria, quercu deficiente, admovetur. At Æſculus, Salix, & Betula, nec in afflatu nec in humore idoneæ; quia utrobique locorum celeriter marceſcunt. Betulam Plinius *Gallicam arborem* vocat, *mirabili candore atque tenuitate, terribilem magiſtratuum virgis*: quaſi in Germania Bohemiaque velut indigena & vicinis circum regionibus non arboreſcat.

CAP. VIII.

De Incili, Septis, Emiſſario.

Quid ſint *Incilia* quid *ſepta*, nemo melius quàm Juriſperiti docebunt. Sic igitur Ulpianus in libello *de rivis l. 1.* utrunque vocabulum definit: *Incile,* inquiens, *locus eſt depreſſus, ad latus fluminum, ex eo dictus quòd incidatur.* Quippè inciditur vel lapis vel terra undè primum aqua ex flumine in piſcinas agi poſſit. *Septa* ſunt ea, quæ ad incile opponuntur, aquæ derivandæ compellendæve ex flumine cauſa; ſive lapidea ſive ex alia qualibet materia, ad continendam tranſmittendamque aquam excogitata. Et quia non rarò contingit, ut redundantibus fluminibus ipſæ aquæ fluminis ſepta ſupergreſſæ, ag;

ſæ aggerem quoque in piſcina ſuperveniant, ſi nullum propè *Emiſſarium* adſuerit; non eſt committendum ut deſiat, ſed per tempus curandum, ut paratum illud extructumque habeamus. Vel interius, patefacto in extrema parte aggere; eodemque palis tignis tabulis robuſtis adverſus impetus aquarum præmunito; vel exterius, juxta latus aggeris perpetuâ foſſa ducta, per quam locus è fluvio pateſcat. Quippè non aliud eſt Emiſſarium, quàm locus patulus, per quem aqua ſupervacanea è piſcina aut lacu ſtagnove emittitur. Hinc Suetonius de Claudio Cæſare: *Fecit*, inquit, *& emiſſarium Fucini lacus, portumque Oſtienſem.*

Hæc de ædificijs & ſubſtructionibus piſcinarum dicta ſufficiunt.

LIBRI TERTII
Proœmium.

NE ſolo nomine piſcinas (quod utique fieret ſi ſolo nudoque ædificio illarum contenti eſſemus) ſed re quoque ipsâ illas poſſideamus, opus eſt aquæ ductu, opus & piſcibus deducendis, ut nova velut colonia novis ſuiſque colonis impleatur: alioquin, ſi altero horum, magis etiam ſi utroque deſtituta fuerit, meritò irridebitur. Quis enim ſic agelaſtus eſt, ut non rideat piſcinam aquis juxta ac piſcibus carentem? Qualis nuper Eques quidam Bohemus, ad cauſas agendas quàm ad piſcinas faciendas aptior, dum beatam hoc novo ſibi officio captat vetulam; quàſi videlicet præter actiones belliſſimè quoque noſſet rationes ædificandi piſcinas: eò loci piſcinam novam conſtituit, quo nullus prorſus manantis aquæ humor ne aſpirare quidem ad eam potuerit. Jam hoc facto ſatis ridiculus, niſi inſuper verbis ipſe magis adhuc ridendum ſe propinaſſet: dum, de ſcaturigi-

turigine aquarum non aquilegum ſed Moſaicâ lege differit. Acceſſit denique ad riſum hic cumulus, quòd idem Eques, velut lupus fruſtrà hians, ſine prædâ dimiſſus eſt à dite viduâ: ibidem enim bolus ei ubi viduæ impenſa perierat. Quorſum iſta? ut ſub hoc exemplo admoneamur, quid nobis ſit fugiendum in conſtituendis piſcinis, quidve ſequendum. Nimirum hoc, ut non ſolum aggere & vallo ſed aquis etiam & piſcibus abſolutam habeamus piſcinam.

A ductu igitur aquæ initium ſequentis narrationis ſumamus.

CAP. I.

De Aquæ ductu in piſcinas.

Ducuntur aquæ in piſcinas è propinquis fluminibus, vel rivis, fontibusque, & lacubus, tum per foſſas, tum per canales ad ripas fluminis in loco ſuperiore ad incile depoſitos, ut per prona aquæ ſua vi delabentes nullo externo indigeant impulſu. Nam ſi flumen pari cum piſcinâ libramento adæquatum fuerit, præſidio obicis egebit. Qui obex mole ſua, ad utramque ripam quâ altius eminet oppoſita, undam ſupervenientem pariter ſuſtineat attollatque, ac mox illam cogat prono ſimiliter lapſu in piſcinam decurrere. Cæterùm ſi fluvius infra libram humiliùs depreſſus jacuerit, quàm ut ullo cujuſvis rei objectu extolli queat, rotam ſublimiorem cum ſitulis aut modiolis aquam haurientibus in alveo fluvij conſtituemus, quæ impulſu fluctuum verſata præſtabit nobis quod opus erit ad uſum. Sin nihil horum fieri iniqua piſcinæ & ſiticuloſa poſitio permiſerit, de cœlo aquæ petendæ expectandæque erunt; & ubi illæ per tempeſtates cum imbribus vel aliàs cum pluvijs ſupervenerint, tum largius diffuſas quâ elicibus quâ ſulcis in piſcinas derivabimus. Refert autem non parum, cœleſteſne, an montanas, an campeſtres aquas in-

ducamus.

ducamus. Nam cœlum, ut incertas, ſic etiam piſcibus ſteriles, fundere ſolet. Steriles item plærunque montes, & præterea impetu præcipites, atque gelidiores quàm amat in æſtate Cyprinus. At ex planis campis unda profluens, quòd læto lapſu prorepit, quòd ſolis calore tepet, quòd vario piſcium genere redundat, idcircò omnium utiliſſima ad piſcinas habetur.

Jamdudum vicinum diligo meum in piſcinis colendis valdè exercitum; quòd cum me videret novam inſtituere piſcinam, idqueagere, ut proximum rivum ſua ſponte è montibus in piſcinam defluentem in piſcina concluderem, amicè & familiariter appellans: Quin tu, inquit, flumen potius, quod paulò longius præterfluit, in novam tibi deducis piſcinam. Reſpondeo, me obvio paratoque humore uti malle, quàm eo, quem & labore & precio redimendum mihi eſſe video. Subridens ille: Tu ergò ſaxo & glarea piſcinam quàm piſcibus implere mavis: nam quid aliud præceps de ardua petrâ cadens rivus, quam ſaxa & ſilices ſterileſque arenas ſecum in ima pervehat? Contra fluvius, inquit, cum ſit diverſorum piſcium alumnus, diverſis quoque & varijs opibus piſcinam tibi faciet opimiorem. Morem geſſi benè conſulenti vicino ac bene mihi verit conſilium.

CAP. II.

Quatenus, & quomodo, aquæ in piſcinam novam ſunt introducenda.

DUm crudus & adhuc ſuſpenſus ac rimoſus agger eſt, non amat neque ſubitis neque multis neque continentibus aquis adobrui. Et ſi fiat, ut à principio ſtatim vis aquarum in eum invadat: ſimul fiet, ut agger propter tenuitatem & raritatem ſuam violentiæ aquarum reſiſtere nequeat, ſed cribri modo diffluat aquas ſubindè percolando, vel ut oneri ob nimium humorem cedens præceps prolabatur. Qui igitur

 diu

diu incolumem illum ſervare volunt, paulatim & per intervallum, atque ad certum modum, initio aquas intromittant. Paulatim ideò, quia aqua ſenſim & leniter ſerpens longè abeſt ab injuriâ faciendâ. Intervalla porrò hanc habent utilitatem, quòd agger novus alternatim ſiccus humectuſque ſubſidit compreſſius & corroboratur firmius. Modò ne nimijs undis compleatur. Satis eſt ad dimidium aggeris à principio ſtagnare aquam. Illud præterea utiliſſime de eadem aqua jam reſtagnante præcipitur, ut illam crebra mutatione renovemus novis admiſſis fluvijs, qui meatu ſuo veterem aquam ſubmoveant, nec patiantur, ut partim ex rudi & inculto piſcinæ ſolo, partim ex ſitu & cruditate arborum, quibus vallamus & loricamus aggerem, vicium amaritudinemque & malum odorem contrahant. Quippè his rebus quaſi venenis imbuti piſces plærunque moriuntur. Rem ita uti mihi contigit narro. Extruxeram in prædio meo, ex recens delectis roboribus & adhuc virus ex cruditate redolentibus Vivarium in quo piſces velut in penore longæ uſionis gratiâ reconderem; ac tùm ſtatim inhibueram, ne villicus ullos piſces vivario niſi bene ante permadefacto, concrederet. Impatiens ille moræ, non parvum Cyprinorum numerum crudo vivario credere audet; poſtridieque ad me revertens Cyprinos ad unum omnes ex aquâ corruptâ mortuos eſſe renunciat; culpam agnoſcit; veniam errati & tranſgreſſi imperij orat, atque impetrat hâc lege, magis poſthac ſobrie ſapiat, magiſq; obedienter juſſis auſcultet.

Hucuſque de aquarum productionibus.

CAP. III.

De fœtu Cyprinorum in piſcinas ſuo ſempore transferendo.

AQuis jam quantum ſatis eſt in novâ piſcinâ reſtagnantibus, ſequitur, ut fœtus Cyprinorum, cujus in primis causâ aquæ

aquæ colliguntur, in illas ex ſeminarijs ſuis transferatur. Duo autem tempora ejus transferendi habentur tempeſtiva, Veris & Autumni. Ac Vernale quidem tempus adeò eſt tempeſtivum, ut quamlibet tunc Cyprini ætatem, ſive anniculam ſive bimam ſive trimam, citra ullam noxam contrectare, & de ſeminario in piſcinam transferre queas. At in Autumno, propter inſtantem hyemem & undas aſſiduò fluctuantes, periculosè feceris, ſi teneriorem minoremque biennio aut triennio tranſtuleris.

Nihilominus reperiuntur, qui Autumnum veri anteponant, hac inducti perſuaſione: quòd Cyprini, quò maturiùs ſeminaria deſerunt & ad ipſas piſcinas tempeſtiviùs deducuntur, eò celerius pabula uberiora præcipiunt. Fortaſsè non improbanda ratio hæc videretur, ſi Cyprini per hyemem paſcerentur; ſed cum illo tempore in cubilibus ſuis jaceant conditi, nec indè ad ſolennem paſtum in vada piſcinarum ante veris initium progrediantur, quî fieri poteſt, ut in paſcendo antecedant vernales Cyprinos, cùm utrique eodem tempore (nempè initiò veris) deſtinata in piſcinis communiaque paſcua affectentur?

Proinde mihi magis probatur, eos quibus Autumnus placet, ex neceſſitate potius quam ex utilitate ad eundem Autumnum confugere; quoniam alio tempore tantam cogendæ colligendæque aquæ in piſcinas, præſertim majores, poteſtatem non habeant. Cæterùm ubi copia humoris in Vere haberi poteſt, ibi mea ſententia præſtiterit, poſt peractam in Autumno piſcationem, per reliquum inſtantis & perſeverantis hyemis tempus vacuas aquis piſcinas relinquere ut hybernis pruinis pluvijs gelicidijs fermenteſcant; quàm committere, ut aſſiduis inundationibus colluteſcant, quandoquidem non lutum eſt ſed uber potius terræ, quod Cyprinos opimiores facit.

Fœtui

Fœtui autem transferendo, hora matutina, diesque à vento & tempeſtatibus quietus, deligitur: ne à calore meridiano, flatuque ventorum ac præcipuè auſtri, corpus Cyprinorum imbecillum valetudine tentetur. Curandum præterea ne dolia, in quibus fœtus tranſvehitur, plus æquo referciantur. Nam ſi id factum fuerit, Cyprini mutuo compreſſu attrituque deſquamantur, vitæque inde periculum adeunt. Uſu peritiores hunc modum in tali re adhibent, ut æquis partibus dolium dividant, dimidiumque ejus aqua, alterum dimidium Cyprinis impleant, ac quô volunt ſine ullâ injuriâ devehunt.

Non minor rurſus cura in dolijs exinaniendis erit advocanda: nam tùm quoque Cyprini nobis periclitantur, ſi temerè ex dolijs velut abjecti, in terram vel in lutum effunduntur. Saluti fuerit, linteum vel reticulum ob os dolij prætendere, ſenſimque inde piſces decidentes excipere, atque exceptos in aquam piſcinæ paulò altiorem purioremque deportare, ibidemque reticulo explicato, poteſtatem eis facere, ſua ſponte aut natandi aut demergendi.

Sed cum in rem noſtram maximè interſit, ut probatiſſimum genus ſtirpis in piſcinis clauſum habeamus, ne in hac quoque re per inſcitiam labamur, electionem probatioris fœtus indicabimus.

CAP. IV.

Quæ ſpectanda in fœtu ad piſcinas transferendo, & undè ſit transferendus.

Diligenter eſt advertendum in legendo fœtu Cyprinorum, ne exoletus pro tenero neve degener pro nobili ſubrepat, fructuque nos, quem incremento ejus ſperamus, defraudet.

Ergò ſigna generoſi & bonæ indolis Cyprini, hæc habeto. Si caput exiguum inerit: ſi oculi emiſſitij: ſi venter capatior

patior diſtentiorque; ſi pinnæ & ſquamæ non luteæ aut luridæ, ſed nitidæ & ſubcandidæ: totum denique corpus ſi quadratum magis quam longum apparuerit. Nam qui vaſtum caput circumtulerit, tenuemque inglorius alvum traxerit, aut qui eandem intempeſtivo ovorum ſemine completam habuerit, ſquamasque pallore infecerit, hic vetus eſt & degener, atque longè à piſcinis ſummovendus, quia nec ad ſaginam nec ad incrementum appoſitus. Non raro tamen etiam probatus in ſuo loco Cyprinorum fœtus, ſi ex meliore ſtatu deteriorem ſortitur locum, degenerat, ſuccum oblitus priorem. Idcircò quoties foris ille noſtro ære paratur, nunquam eſt ab oraculo piſcinariorum decedendum. Quo monemur; ut ſecundo flumine fœtum Cyprinorum à nobis emptum in piſcinas devehamus, id eſt, de editiore loco in planiorem, de frigidiore in tepidiorem, de ſteriliore in uberiorem. Ita fore, ut hanc curam noſtram uberrimus atque lautiſſimus pinguium Cyprinorum piſcatus conſequatur, dummodo adſit in piſcinis adimplendis modus.

CAP. V.

Quantus cuique piſcinæ Cyprinorum numerus ſit contribuendus.

PRoxima à delectu Cyprinorum debet eſſe cura de numero, quem cuique piſcinæ pro modulo ſuo attribuere conveniat; nè ſi numero Cyprinorum majore illas quam quem alere valeant oneraveris, te quoque diſpendio oneres: graciles videlicet ex fame & tenues piſces gracili etiam & tenui precio diſtrahendo. Sin juſto minorem illis numerum aſſignaveris, ne ex defectu piſcium rurſus præſenti feriare damno. Cum liceat utrumque incommodum vitare; adhibito videlicet (quem oportet) unicuique piſcinæ legitimo numero.

Quid eſt autem, cur piſcinarij vel in hac arte agricolis & vinitoribus concedere debeant, ut non ſimiliter atque illi

 comp re-

comprehenſam ſeminum ſummam, quam piſcinis credituri ſunt, habeant? quando pariter atque illi per jugera ſementem in piſcinis faciant? Eſt verò multò longius latiusque piſcinarium quàm agreſte jugerum. Nam hoc, quemadmodum nos in agris metimur, duodecim in longum funiculos, & duos tantum in latum, complectitur: At illud alterum in piſcinis, viginti quoquoverſus funiculos (quorum quidem longitudinem anteà dimenſi ſumus) efficit. Quum igitur unius jugeri hac longiore dimenſione magnitudinem piſcina impleverit, Cyprinos ad alendum adoleſcendumque deſtinatos (ſi modò pingue ſolum in fundo ſubſiderit) quinquagies ſexagenos, hoc eſt, ter mille Cyprinos alere non incommodè poterit. Hic denique numerus pingui jugero, tanquam legitimus ſemper attribuitur: minor aliquantò mediocri, minimus macro. Sic deinceps in minoribus etiam piſcinis, cuivis parti jugeri, pro rata menſuræ ejus portione, majorem minoremque numerum, uti loci conditio poſtulaverit, attribues.

Non autem temerè fit, cur piſcinarij ſexagenarium numerum, in recenſendis ad piſcinas Cyprinis Lucijsque, præter cæteros ſibi aſſumant; ſed certa ſubeſt ratio, quamobrem id faciant. Nempè iſta; quòd ſexagenarius alijs numeris commodiùs Arithmeticâ ratione in plures diſtribuitur partes. Quæ res quantam opportunitatem in emendis vendendiſque vel ſummatim vel per partes piſcibus habeat, ſuo quiſque ſenſu facile percipere poteſt. Primùm igitur ſi ſexagenarium in duas æquas partes dividas, fient triginta, pars tertia fient viginti, pars quarta quindecim, quinta duodecim, ſexta decem. Atque hoc modo ulterius progrediendo, pars decima fient ſex, duodecima fient quinque, quindecima quatuor, vigeſima tria, trigeſima duo, donec pars ultima ſexagenarij in monadem deſinens, finem amplius ſecandi numerum faciat. Sive igitur

igitur ſummatim, ut dixi, ſive particulatim diſtrahere piſces volueris: numerum ſexagenario ad eam rem commodiorem nullum alium dabis. Interim tamen & illa commoditas maximè complectenda, quam ſeminaria domi comparata inſtructaque ſolent piſcinarijs præſtare.

CAP. VI.

Bonus paterfamilias ſeminaria Cyprinorum domi conſtituta debet habere.

VErba Catonis ſunt: *Patrem familias vendacem, non emacem, eſſe oportet.* Jam ſi nulla alia propagandæ ſobolis cauſa nobis adeſſet, hæc ſola ſatis magna videri debet, ut ne fœtum Cyprinorum foris emere cogamur, quem domi gratuitò per induſtriam noſtram habere poſſumus.

Sed multa præterea alia ſunt, quæ adhortari atque perſuadere debent piſcinarijs, ut ſibi in fundo ſuo ſeminaria comparent. Nam ubi pro copia domeſtica facere delectum fœtus licet, ibi nihil obſtat quo minus illum maxime probatum nobis deligamus. Deindè in manu noſtra ſitum eſt, quo tempore fœtum piſcari, & quandò eundem ex vivarijs in piſcinas tempeſtiviſſimè transferre voluerimus: quorum neutrum facilè nobis continget, ſi illum in alieno ſolo parabimus, ſed is cujus fundus erit, ſuo ſibi tempore, non noſtro, fœtum piſcabitur, ſibique à piſcatu probatiorem deliget, nobis obtrudet rejiculum: Heus, inquiens, proximus ſum egomet mihi. Tum non raro uſu venit, ut nulla prorſus ſemina apud vicinum quovis precio commutanda reperiamus: Interdum ut reperta quoque non tam emiſſe quam amiſiſſe fuerit utilius, propter miſcellaneam turbam ex novo veterique ac retorrido fœtu permixtam. Quid vectura tandem? Quid ſumptus & impenſæ? Quid cætera incommoda, quæ peregrè ambulantem comitari aſſolent? Nonne malum malo accumulabunt?

bunt? Idque noſtra prorſus culpâ, per quos ſtat quo minus domiconſtituta ſeminaria habeamus; unde liceat non modò levatos omni onere moleſtiaque vivere, ſed etiam quotannis aliquid ex vendito ſupervacaneo ſœtu lucri facere. Sagaciſſimè Vergilius de poſteritate ſtirpis nobis conſulit, inquiens:

Semper enim reſice: ac, ne pòſt amiſſa requiras,
Anteveni, & ſobolem armento ſortire quotannis.

CAP. VII.

De Poſitione ſeminariorum.

LOcus Vivarijs ſementi faciundæ deſtinatis, non ita moroſe, uti majoribus piſcinis, in quibus jam adultus nutritur Cyprinus, quæritur. Sed talia vivaria in quovis fundi vel anguſtiore receſſu, modò riguo, inſtitui recte poſſunt. Nec enim amplum terræ ſpatium, nec apricum valde ſitum, nec ſolum pingue lætumque deſiderant; cum in hoc dumtaxat bujuſmodi vivaria parantur ut ſemina contineant, mox aliò ad uberiora paſcua transferenda. Animadverte tamen diligenter, ut locum ſeminarij arenoſum, non cœnoſum, deligas: Quoniam ova Cyprinorum, quæ ex mutuo attritu in cœnum decidunt, animari, velut à luto præfocata, nequeunt; ac ſola illa facile animantur quæ in vadoſis deponuntur arenis. Conſtituuntur autem vivaria eodem plane modo, quo grandiores piſcinæ: nimitum aggere, vallo, loricula, canali, emiſſario, & ſeptis. Niſi quòd pro modulo vivariorum, modus quoque ſubſtructionum & ſumptuum contrahitur. Quo verò majorem tibi illorum copiam paraveris, eò longiorem habebis facultatem deligendi ex Cyprinis ſemina, quæ tùm ad incrementum, tum ad ſaginam, videbuntur eſſe magis idónea. Nam alio in vivario naſci, alio adoleſcere, alio pergliſcere, Cyprinus ſolet. Eamque ob cauſam ſeparatas etiam alijs atque alijs locis deſiderat piſcinas.

CAP.

CAP. IIX.

De trifaria Piſcinarum per claſſes diſtinctione.

QUemadmodum Pauſias, & cæteri pictores ejuſdem generis, authore Varrone, loculatas magnas habere ſolebant arculas, ubi diverſi illis ineſſent colores; ita nos quoque in latifundijs noſtris loculatas habere piſcinas conveniens eſt, ubi diſpares annis & viribus piſces, locis etiam diſparibus diſcluſos, habeamus. Idenim inprimis eſt piſcinarijs utile, habere fœtum Cyprinorum ita per piſcinas diviſum, ut ſtatim ſciant, unde primi, unde alterius, undè tertij anni, ſœtum depromant, & quo quemque eorum pro ætate ſua transferant. Piſcibus dein valde conducet, ut pares vita & annis cum paribus congregentur; quo facilius perveniant ad parem incrementi maturitatem.

Satis autem eſt in tres claſſes diſtributas nos habere piſcinas. Ut prima ſit, in qua primam Cyprinorum pulliciem enutrimus, eaque minimam poſtulat piſcinam, quia minimos continere ſolet Cyprinos. In majorem ſecundæ claſſis, id eſt, ſecundi anni transferri debent Cyprini. In tertiam, eandemque maximam, non alius quàm ſaginæ deſtinatus ſœtus eſt traducendus; numero certo, & pro modo piſcinæ diſtincto. Nam in illam minimæ ſortis piſcinulam ſolas matrices concludimus: non plures interdum quam tres, interdum novem aut quindecim. Valdè enim ferax genus Cyprinorum eſt, ac tanta celeritate atteritur, ut viſum penè fallat.

CAP. IX.

De attritu Cyprinorum Luciorumq́;.

ADmiſſarios Cyprinos vulgus piſcatorum Terdellones cognominat; quòd more complurium piſcium terendo, mutuoque contractu ventres confricando, ſolennem Hyme-

næum peragunt. Idque faciunt vel Aprili vel Majo menſe, prout prius aut poſterius ex tempore aquarum cupido ſeminium illorum elicitur. Qua inſtante & titillante maſculus adeo plenos humoris lactei perviosque meatus exhibet, ut ſi vel leviſſimè alvum ejus manu comprimas, inde tibi continuo ſemen effluat. Oſtendit & femella ſub idem tempus mutuæ cupiditatis & voluptatis ſigna; dum ſolito magis alvum ovis inturgeſcentem præfert, & quantum poteſt marem conſectans fricari, alvumque ovis reſolvere accelerat. Scribit Ariſtoteles *lib. VI. naturalis hiſtoriæ*, tredecim ſæpenumero & quatuordecim Cyprinos ſingulas fœminas aſſectari, ac ſi quando tardius mares occurrant, ultro illas, deſiderio naturali accenſas, obviam prodire, ut ventres marium roſtris petant, ſemenque genitale animandi fœtus gratia eliciant. Nam niſi vitali maris ſemine ova aſperſa fuerint haud animantur. Non omnibus id contingit ovis in tantâ multitudine, alioqui replerentur maria & ſtagna, (ut prodit Plinius) cum ſinguli uteri innumerabilia concipiant. Author eſt idem Ariſtoteles, ova Cyprinorum fœtifico ſemine contacta eádem die ad magnitudinem milij excreſcere. A trimatu Cyprini edere vitalem ſœtum incipiunt, eduntque ultra annum trigeſimum.

Cæterum hic præcauto opus eſt, ne partus tempore, vel perca piſcis vel lucius, interveniat, quod illa in ova recens excluſa ſtatim invadat, rurſus lucius in partum jam animatum hoſtiliter graſſetur.

Hujus adeò Lucij ſatus non aliter atque Cyprini, attritu ſcilicet ſimiliter ventrium (niſi quòd paulò maturius, nempè circiter æquinoctium vernum) peragitur.

CAP. X.

Semel ne Cyprinus in piſcinis, an ſæpius (uti in mari fit) pariat?

ACcumbebant menſæ Principis mei Stanislai proceres nonnulli

nulli piſcinarij, quales Cicero Tritones appellat. In eo convivio cum nullus fermè ſermo crebrior, quàm de piſcinis percrebuiſſet; rogat tandem unus cæteros de partu Cyprinorum, utrùm ſimplex ille in annos ſingulos an multiplex foret. Qui proximè aſſidebat, videri ſibi, ait, Cyprinum ſemel tantùm in ſingulos annos, perinde ut Lucium & complures alios piſces, parere. Qui fit igitur, inquit rogator, ut in uno Cyprinorum ſeminario, non duplici modò, ſed etiam triplici varietate magnitudineque fœtus diſtinctus reperiatur? Reſpondet alter ille, nequaquam varietatem ejuſmodi illinc provenire, quod ijdem Cyprini ſæpius quàm ſemel fœtificarent, ſed quod ex eiſdem, alij tempeſtivius, alij ſerius, ova excluderent. Nutante ſententia, atque eò magis, quòd ego tunc etiam unà accumbens, ad confirmandam hanc opinionem, ſimile quiddam de Thynnis in medium adducebam. Ariſtotelem (inquiens) tradere, fœtam Thynnam ſemel dumtaxat intra annum uterum geſtare ſed quoniam partem fœtus præmature partem tardius producat, exiſtimari eodem anno bis prægnantem fieri bisque parere. Ibi nonnemo talium rerum valdè curioſus interpellat, inquiens: ſi ſemel tantum Cyprini quotannis progenerant: ſcire aveo, unde accidat, ut in vivario, in quo non multi Cyprini, ut de his poſſit dici quòd alij anteverterint alijs, ſed in quo ſolus maritus cum ſola conjuge attinetur concluſus, in eo tamen aut duplex aut triplex fœtus, tempore diverſo atque diſtanti editus inveniatur. Nihil habentibus convivis, quod ad hæc reſponderent: addit idem, ſe non ſolùm perſuaſum habere, ter in æſtate Cyprinum parere; ſed nec cum eo contendere velle, ſi quis dicat, eundem vel in autumno etiam fœtum edere, quando illo quoque tempore alvum ovis gravem geſtare deprahendatur; ſed certum ſe habere, quod hujuſmodi fœtus velut abortivus ſine vita tunc effunditur.

Cur

Cur igitur in mari, ut vult Oppianus quinquies, Plinius & Ariſtoteles ſexies, Cyprini citra noxam pariunt? an quia Venus eorum minus habetatur, qui liberi in mari, quam qui captivi in piſcinis vivunt? an loci ipſius natura huic quoque fæcunditati aliqua ex parte ſubſervit? Id quod Ariſtoteles credere viſus eſt, *libro quinto de natura animalium*, ita ſuper hac re ſcribens: *Diverſum regionis ſitum, locorumque diſcrimina, non ſolum ad hæc valere conferreque plurimum, ut piſces in uno loco, quàm in altero, excreſcant felicius, non ſecus atque arbores & ſtirpes: ſed ijdem etiam, ut alibi ſæpius coeant pariantque alibi rarius.*

Sed nimis longùm loquor de Cyprinis, tanto deinceps brevius de Lucijs.

CAP. XI.

Lucii quo tempore in piſcinas tempeſtiviſſime deducuntur.

FAciunt hoc cultores hortorum ut non prius in areas recens conſitas runcatorem ire patiantur, quam viderint illas ſupervacaneis & inutilibus herbis jam occupatas, alioquin intempeſtivus runcator utilia inſuper ſemina proculcabit, nedùm ut eruncet noxia. Quanto magis nos facere congruens eſt ne Lucium ſtirpis Cyprinæ cladem atque exitium, niſi cùm fuerit tempeſtivum, in piſcinam deducamus? Non in quaslibet, ſed in eas duntaxat, quas in tertiam claſſem, nempe illam maximam, repoſuimus. In quâ ſæpenumerò uſu venit, ut interveniente attritu Cyprinorum, ætate jam majorum, tot novis tamque multis exundent piſcinæ fœtibus, ut paſcua tantæ multitudini ſubminiſtrare non valeant. Ac tunc igitur maxime per tempus deducitur Lucius, qui ore & dente ſuo nimiam ſobolis novæ luxuriem depaſcatur. Pro magnitudine autem piſcinæ & fœtus multitudine plures pauciores ve Lucij in illam admittuntur. Nec caret admiſſio iſta compendio,

dio, propterea quòd Lucij ſuperfluo fœtu Cyprinorum ſatiati, non modò majus ſed etiam celerius corporis ſui incrementum capiunt, atque indè majore quoque precio grandiores divenduntur. Memini in ſexaginta Lucios, hoc modo quo jam ſtatim dixi in piſcinis ſaginatos, precium in Moravia quaterdenos aureos nummos fuiſſe: tùm cùm Sigiſmundus Poloniæ Rex cultu prorſus & comitatu regio (nam ad tria millia equitum eum comitabantur) Gracovia Viennam ſe ad Cæſarem Maximilianum,& ad Uladislaum fratrem germanum Pannoniæ atque Bohemiæ Regem,conferens, hoſpitio Cremſirii à Principe meo Stanislao exceptus eſſet.

Cæterùm non ita dictu promptum eſt, qui fiat accidatque, ut in piſcinis, quæ de nullo flumine aut rivo undè Lucius unà influere queat, ſed quæ de cœlo tantùm & nubibus humorem accipiunt, Lucius tamen in illis reperiatur.

CAP. XII.

Quæ ſit opinio de Luciis, cur ſua ſponte in piſcinas ſuperveniant.

AN ſi rationem à Philoſophis proditam, undenam Lucij ſua ſponte piſcinas introëant, non habeo quam vellem: ipſam interim opinionem quoque tacitus ſupprimam, quam piſcinarij in vulgum ſpargunt? Ego verò libentiùs hic opinione vel idiotarum utar, quàm ut cum Athenæo & Philarcho Philoſophiæ ſtudioſis affirmare audeam, piſces aliquandò de cœlo in terram cum pluviâ pluiſſe. Ad nos ſcilicet ejus generis pluviæ nunquam perveniunt. At non rarò anaticulæ ad piſcinas noſtras advolant, ut ingluviem ſuam vel fœtu vel ovis tàm Luciorum quàm Cyprinorum expleant. Propiorem itaque veri habet ſpeciem id quod piſcinarij autumant: anaticulas, dum ſemine luciorum ventrem plenum & adhuc crudum vomitu ad piſcinas exonerant, ſimul eaſdem piſcinas ſe-

 mine

mine illo egeſto etiam conſerere, Luciosque ex eo ſatu animari. Mirentur hæc illi, qui apud Plinium de Ariſtotele mutuantem iſta de perdicibus, non legerunt; ſi contra mares ſteterint fœminæ, aura ab his flante prægnantes fieri: *hiantes autem exertâ linguâ*, inquit, *per id tempus æſtuant, concipiuntque ſupervolantium afflatu, ſæpè voce tantum auditâ maſculi.* Hæc Plinius. Jam quid de equis M. Varro narrat, ſi vacat audi. *In fatura* (ait) *res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera. Quod in Luſitania ad Oceanum, in eâ regione, ubi eſt oppidum Olyſippo, quædam è vento concipiunt equæ*, ut hîc gallinæ quoque ſolent, quarum ova hyponemia appellant. Ut nunc taceam gentes ad Boryſthenem fluvium habitantes, quæ ſine ulla varietate ſermonis, quoties ad nos veniunt, omnes aſſeverant: piſcinas in ſua regione à piſcatu rariſſimè denuo ſeminari, ſed ſuapte ſponte piſcibus illas, ſive ex terreno humore ſeu ex cœleſti influxu coortis, redundare.

Sed ne cui faſtidio ſim, dum novam & inuſitatam opinionem excedentia refero, finem dicendi faciam, & ad inſtitutam narrandi de piſcinis rationem, in ſequenti hoc libello me transferam.

LIBELLI QUARTI

Procœmiolum.

NOn minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri. Cum igitur in quærendis atque parandis piſcinis, hactenus curam, qua diligentia fieri potuit, contrivimus: par eſt, ut jam deinceps videamus, ne benè parta malè nobis dilabantur, ſi fortè ratio nos & ſolertia deſtituerit quibus res piſcinaria conſervatur. Inprimis itaque ratio erit advocanda, qua noſcamus, quid & quomodo, in piſcinis tuendis agendum: nobis ſit deinde ſolertia efficiet, ut ſedulo, &

lo & ſcite bonoque exitu agenda peragamus. Colligitur autem ratio, quam quiſque cuſtodiendis piſcinis præpoſitus ſequi debet, ex quibuſdam piſcinariorum præceptiunculis, quas nos in hoc libello quarto, per quatuor temporum intervalla digeſtas, explicabimus. Ut futurus piſcinarum tutor ſeparatim ſciat, quid ei ſit per vernum tempus faciendum, quid æſtate ſequendum, quid autumno & hyeme curandum. Et unde meliùs, quàm ab officio tutoris, auſpicabimur?

CAP. I.

De officio tutoris piſcinarum.

Qui curæ piſcinarum præpoſitus fuerit, tria ſibi potiſſimum curanda eſſe ſciat. *Primum* ea quæ ad aquas pertinent, *deinde* ea quæ ad piſces, *tertia* poſtremò cura totam complectitur piſcinam.

Circum aquas iſta ſunt obſervanda, ut ne unquam illæ neceſſario humore piſcinas deſtituant; neu repentè ex cœlo procelloſo adauctæ inundationibus aggeri officiant; nevè, ſi diutius ſtagnaverint, putorem & ſitum noxium contrahant.

At circum piſces iſta procurabit; ut matrices in ſuis ſeminarijs ſuo tempore fœtificent: ut ipſe fœtus tempeſtive quò oportet transferatur, cauteque interim dum transfertur & tractetur & devehatur: ut numerus piſcium apud dominum ſubſcribatur: ut denique piſces bono modo in piſcinis nutriantur. Nec enim natura quod vult ſemper id per ſemet efficere poteſt, ſed aliquoties ab induſtria operaque noſtra adjuvari deſiderat. Hinc agrorum & vinearum cultum, hinc arborum inſitionem, hinc pecorum educationem, non ſua ſponte ſed magis ab humana ſolertia provenire videmus. Cui adeò ſolertiæ Cyprinorum quoque in piſcinis ſagina nonnihil debet.

Eas piſcinas (nam hoc tertio loco dicendum ſupereſt)

curatorem ſæpiſſimè obire oportet,& quid quoque loco ſarciendum vel inſtaurandum ſit, providere. Semper autem ſatis ſuperque in piſcinis adeſt quo ſarto opus ſit: ut quod vel à ventis vel à tempeſtatibus vel à violentijs aquarum fuerit interruptum; & ſubinde proviſo, ne quid damni ibidem volucres pecudes homines faciant. Nam ubi cuſtos abeſt, modo Mergi (quorum non unum genus) advolantes, modò Lutræ piſcinas ſubeuntes, liberè piſces deprædantur. Aggerem verò proruunt & proculcant ſues boves equi paſtum ad piſcinas appulſi. Tum improbi paſtores conſepta, quibus fuga piſcium arcetur, intervellunt, ac per loca intervulſa piſces fugam adornantes excipiunt. Idcircò eum, qui ſe piſcinarum tutorem idoneum præſtare cupit, ambulare ſtrenue oportet, & diligenter circumſpicere, ne ullæ ad piſcinas inſidiæ eum lateant; dum ne ita ambulet, ut cum operam oſtentare vult ſuam, vagetur potius, amænitateſque & frivola captet, quàm piſcinas utiliter obeat.

Sed jam poſt communia idem tutor ad partes mihi eſt evocandus,

CAP. II.

Quid in vere tutorem curare conveniat.

VEr ſanè pluſculum negocij circum piſcinas exhibet, atque in multas variaſque curas animum tutoris diſtrahit: quas ille tamen ita diſpenſare debet, ut ea quæ differri niſi cum incommodo nequeunt in primis conficiat, ac deindè ſuo tempore cætera. Minime autem omnium differri volunt ædificia, & munimenta, quæ ad vallum & ſepes & ad alia ſepta veniunt inſtauranda. Quocircà primo quoque tempore, cùm ſe in vere facultas operis faciundi obtulerit, tutor id curet, ut quæ vel à fluctibus convulſa, aut vetuſtate viciata fuerint, ea reſarciat: mox ut operam propurgandis elicibus

ſulcis

ſulcis aquarijs, foſſis, per quas nivalis pluvialisque humor in piſcinas derivatur, impendat: poſt aquas derivatas, ut fœtum per claſſes piſcinarum diſtribuat; quoniam, ut antè dictum eſt, translatio cujuſvis fœtus in vere tempeſtiviſſima habetur. Ac tunc non die ſolùm, ſed etiam noctu (quia noctis magis quam diei tempore Cyprini per voluptatem atteruntur) ad piſcinas recurſet, videatque ne quis tunc illis inſidietur. Quippè non aliàs exceptu faciliores Cyprini videntur, quàm cum velut cœci in amorem ruunt mutuum, incautique & per agmina circum vada pererrant. Hoc eodem veris tempore curatori maximè præcipitur, ut quotiescunque ruit imbriferum ver, toties ſepta piſcinarum, in quibus Cyprinus adultus perglifcit, ut recludat, imbremque unà cum fluminibus, limum ſecum & ſtercora ex uberioribus agris pertrahentibus, admittat. Nullum enim hoc Cyprinis gratius pabulum reperitur, nec undè craſſeſcant ocyus. Accedit ſimul ex turbidis aquis iſta quoque piſcinis utilitas, quòd advenis piſcibus, cum fluvio tunc affluentibus, ſine opera noſtra & impenſa, piſcinæ adaugentur. Nam puris & defœcatis aquis durantibus, rarus in piſcinas hoſpitum piſcium adfluxus contingit.

CAP. III.

Quid ſit in æſtate procurandum.

CONtra in æſtate facere curatorem decet, atque inter prima accurare: ut clauſtra circum piſcinas clauſa habeat omnia, ne quà aditus in piſcinas profluo flumini pateat. Maximè videlicet tranquillo tunc & quieto ſtatu opus eſt Cyprino: quia æſtate maximè, propter lætiſſima & ſibi gratiſſima paſcua, illo adoleſcit & pingueſcit. Si modò ociosè paſcitur. Nec enim ab exercitio ſed ex ocio corpus opimatur. Ideoque interclusis illo tempore opus eſt ſeptis, nè unda recens

piſcinas influat: ad cujus meatum oberret magis quam paſcatur Cyprinus. Ac ne putes ſolos Cyprinos ex inertiâ adipes aſſumere: prodit Plinius, *ad Cadaram rubri maris inſulam, præcipua ejus loci quiete, beluas ad immobilem magnitudinem adoleſcere, thynnos vero in tantum pingueſcere ut dehiſcant.* Quantùm autem unda jugiter manans Cyprinis æſtate eſt adverſa, tantum pluvia leniter affluens grata & amica. Qua de re Plinius rurſus ſcite & conſideratè: *piſces* (inquit) *modicis imbribus gaudent aluntur que. Quippè & harundines, quamvis in palude prognatæ, non tamen ſine imbre adoleſcunt: & alias ubicunque piſces in eadem aquâ aſſidui ſunt, niſi appluat exanimantur.* Hæc Plinius.

Sed cum in hoc eodem capite mentio facta fuerit paſtionis & harundinum: prius de alimentis Cyprinorum, poſt de harundine extirpanda commemorabimus.

CAP. IV.

De alimentis Cyprinorum.

IAm etſi piſcibus commune ſit omnibus, præcipuam alimentorum ſuorum partem ex aquis capere: ſunt præterea tamen alij quoque cibi ſuo cuique piſcium generi ſecundum naturam ſuam velut proprij. Nam, ut Ariſtoteles tradit, Congri Murænæ Lupi carne tantùm veſcuntur: Mulli carne & algâ: Scarus algâ tantummodò: Salpa algâ & ſtercore: Capitones limo; ac ne perſequar alios quos nunc perſequi non eſt neceſſe, ipſe adeò noſter Cyprinus limo paſcitur & arenâ glebæ permixta. Et quanquam idem à carne abſtinet, lumbricos tamen terrâ erumpentes culiceſque & muſcas aquis ſupervolitantes libentiſſimè dapis gratia conſectatur, adeò ut ſi propè ocioſus ambules, auremque tacitam, dum inſecta venatur, adhibeas, clarè exaudias, ore illum ſuo quaſi poppyſmata ædere. Qui diſtinctiùs de paſtionibus Cyprinorum loquuntur,

quuntur, hanc ex inſectis paſtionem, modò æſtivam modò ſupernatantem cognominant: quoniam ſurſum verſus in ſummâ vel tellure vel aquâ hujuſmodi inſecta per æſtatem ſerpant volitentque. Illam verò alteram, quam in fundo piſcinæ limus & arena Cyprinis ſubminiſtrat, appellant infernatem, quia inferius ſita eſt. Adduntque, priore illâ quâm hac poſteriore, non ſolùm meliùs Cyprinos ſaginari, ſed etiam carne fieri teneriores. Nec id ſine ratione, quòd ea, quæ jucundius ſuaviusque ſumuntur, melius etiam teneriusque nutriant. Non eſt autem dubitandum, quin hyeme quoque in latebris altioris aquæ conditi terreno paſtu alantur: quandoquidem illorum cubilia haud aliter tunc excavata deprehenduntur, quàm ſues volutabra ſua excavare aſſolent.

Vulgus inſuper frumento aqua macerato, eique potui, quem à Cerere vocamus cereviſiam, deſtinato, clauſos in ligneis vivarijs Cyprinos paſci decrevit. Præterea figulari creta modico ignis calore aduſta fracibuſque olei ſubacta; quippè ex hoc pabulo pinguius etiam quàm ex frumento Cyprinus ſaginam induit. Itaque mirari interdum ſatis non eſt miram Plinij diligentiam, ut quam ne hoc quidem olei condimentum, quo piſcium obſonia interdum condiuntur, effugere potuerit. Sic enim, ſed valde ſtrictim, *libro nono*, & quaſi per tranſennam hanc rem aſpiciens: *Guſtu* (inquit) *olei maxime, dein modicis imbribus gaudent aluntur que.*

CAP. V.

De extirpanda in piſcinis harundine.

SOlet harundo poſt frequentes pluvias, ſi craſſum lætumque ſolum ſubeſt, & modicè piſcinis innatant aquæ, celeriter ſuboriri, & poſteaquam ſuborta convaluerit, meliora Cyprinorum paſcua, quæ ad vada & oras in piſcinis reperiuntur, infeſtare, aliquoties totas piſcinas in quibus exiguus humor
ineſt

ineſt occupare. Nam vis aquarum major illam fruticari non ſinit. Noverunt hoc ſolertiores piſcinarum curatores: quarè etiam ſedulò curant, ut vel uno ſtatim fluxu piſcinas aquis ad juſtum modum impleant, vel poſt ſubductas aquas ut nē quid humoris in illis (præſertim germinationis cannarum tempore) relinquant. Difficilè autem malum hoc, ubi prævaluit in piſcinis, extirpatur. Nam ſi ferro ſuccidas lætior harundo, ſi face incendas denſior reſurgit: tùm ſi ſolas admoveas manus, frangas citius quàm evellas. Sed nec vomeri facilè cedit; quia altius radices in terram agit, denſioreq́ue illas inter ſe complexu innodat, quàm ut enodari exararique poſſint. Sed hac tandem ratione in exitium ejus non fruſtra incumbes: ſi æſtivo ſolſtitio per plēnam aquis piſcinam monoxylo vectus, harundinem tum falce invadas, ita eandem falcem in demetenda harundine moderans, ut internodia ipſius duntaxat ea, quæ ſubter aquam merſa ſunt, demetas. Fiet enim, ut harundo per cavam calami plagam exhauſta aqua, quæ vapore ſolis tunc eſt percalefacta, non ſecus intabeſcat, ac ſi tabificum biberit venenum. Admonet Plinius ex occultiſſima illa rerum inter ſe ſympathia, ut falci apponamus filicem. Verba Plinij ex *Lib. naturalis hiſtoriæ XVIII* iſta ſunt: *Ajunt filices circa ſolſtitium avulſas non renaſci, nec harundine ſectas, aut exaratas vomeri harundine impoſita. Similiter & harundinem exarari filice vomeri impoſita præcipiunt.* Illud etiàm, quod de extirpandis ſylvis apud eundem Plinium legi, adſcribere non pigebit, quando frequenter accidat, ut piſcinas in nemoribus excitemus. Dicit igitur Plinius Democritum ſecutus: *extirpari ſylvas lupini flore in ſucco cicutæ uno die macerato, ſparſisque radicibus.*

Satis erat dictum de æſtivis operibus, niſi in eadem æſtate Cyprini malâ interdum valetudine tentarentur.

CAP.

CAP. VI.

De morbis Cyprinorum.

AUtor idem Plinius *lib. nono*, morbos univerſa genera piſcium non ſentire, verùm ægrotare ſingulos manifeſtum facere aliquorum maciem, cùm in eodem genere præpingues alij capiantur. Et de Siluro: *Silurus* (inquit) *caniculæ exortu ſyderatur; & aliàs fulgore conſopitur.* Hoc & in mari accidere Cyprino putant. Imò haud dubiè conſtat, Cyprinos in mediterraneis quoque piſcinis, vi ejus ſyderis afflari & marceſcere, ac nonnunquam ſine ullo remedio conſopiri, Præſertim ſi fulgur illud clarum incidit, quod dolia exhaurit intactis operimentis, & quo matres gravidæ partu exanimato vivunt citra ullum aliud incommodum. Cæterùm quoties Cyprini non ex ſydere, ſed ex vitiatâ corruptaque in piſcinis aquâ, infeſtantur, aut ſi quandò ob exiguum humorem malè valere incipiunt, adverſus utrunque incommodum largior novarum recentiumque aquarum ſubmiſſio valdè commodat. Interire autem piſces, ſi in exiguâ nimis aquâ diutiùs ſtabulentur, non aliter quàm cætera animantia ſi in exiguo aëre claudantur, eximius animalium naturæ indagator Ariſtoteles teſtis eſt. Quin ſi accidat, ut vel aliundè piſcibus immineat pernicies, aut à verbaſco in piſcinas projecto, aut à cyclamini radice, quam ideo ἰχθυοτήρα cognominant, aut à lacte tithymali herbæ, quam aliqui caprinam lactucam Cornelius marinam appellat: tunc item nihil magis expediet, quàm aquas mutare renovareque. Hoc eodem lacte tithymali, ſi corpus alicujus inſcriptum, & poſteaquam inaruit inſcriptio, cinere conſperſum fuerit: narrant, ita apparere literas, ut illas vel adultera queat legere. Super hæc exitium piſcibus ariſtolochia molitur. Siquidem refert Plinius, ſe coram à piſcatoribus Campaniæ contuſam immixta calce in mari ſparſam fuiſſe, mira-

que cupiditate piſces advolaſſe, ac ſtatim exanimatos fluitaſſe. Eſt & cannabis ſuccus amarus piſcibus mortifer. Propter quod nos, qui in regionibus noſtris tum cannabi tum piſcinis abundamus, lege atque mulcta vetamus, ne cui liceat cannabim juxta piſcinas macerare. Contra apium omnibus piſcibus morbo laborantibus maxime eſt ſalutare. Hoc ipſo Plinio lib. xx in hæc verba prodente: *Piſces quoque ſi ægrotent in piſcinis, apio viridi recreantur.*

Nunc ad Autumnum properemus.

CAP. VII.

Quid in autumno curatori agendum.

SI piſcatus in autumno ceſſaverit, fueritque in tempus vernum dilatus, cura autumnalis ad piſcinas plus penè ſolatij quam negocij præ ſe fert. Nempè aucupium: quod feri de ſe anſeres & anates, ad piſcinas in autumno convolantes, non ſine voluptate præbent. Quanto ego ſæpenumero affici gaudio, quanta lætitia efferri, aucupes à piſcinis revertentes ſpectavi! cum hero coràm captos anſerum vel anatum manipulos recenſerent, cumque viciſſim herus eorum aucupium, quaſi rem plauſibilem, non voce ſola ſed nonnullo præterea auctario addito approbaret, ut eſca tali velut ineſcati libentiùs aucupium repeterent, penumque domini ſubinde inſtruerent.

Habet tamen & ipſe autumnus curam ad piſcinas aquis & Cyprinis completas peculiarem: quam qui per tempus curatores obierint, plurimum futuro incremento Cyprinorum conferunt. Ea eſt, ut ante hyemis adventum aquæ ex piſcinis marginumtenus ſubducantur, ut illi ipſi margines aquis denudati ſiccatique pruinis & gelicidijs hybernis fermententur. Sed caveto, ne cum ſupervacaneis aquis neceſſarias quoque ex piſcinis ſubducas. Multò enim ſatius eſt, fermento carere, quàm de ſalute piſcium ob inopiam aqua-

rum

rum periclitari, præſertim ſi hyems immineat, de glacie & nivibus altioribus ſuſpecta. Eodem autumno ſæpè *immenſum cælo venit agmen aquarum*: fac igitur, ut ſeptis & canalibus emiſſarijsque recluſis cuivis per tempus occurras tempeſtati, antequam illa ſuperveniens calamitatem aliquam ſecûm piſcinis afferat.

CAP. IIX.

De hyemali piſcinarum procuratione.

NOn ſunt, quanquam eſſe videantur, ne hyeme quidem circa piſcinas halcyonia. Nam glacies ipſa, quæ tranquillitatem tunc & ſecuritatem tutoribus piſcinarum polliceri putatur, quia circum undique tectos & clauſos teneat atque cuſtodiat piſces, magnum ex ſe periculi metum minitatur; ne mole videlicet ſua & craſſitudine piſces in piſcina ſtranguler, dum facultatem hauriendi libere reddendique ſpiritum illis adimit. Non rarò enim duobus pedibus, & eò amplius, alta glacies piſcinis incumbit. Ad eandemque altitudinem nix ibidem ſæpius adaucta animam piſcibus præcludit; ſi curator non intervenerit, qui & nivem compluribus ex locis piſcinæ ſubmoveat, & ſcrobes in ijſdem locis, per ſectâ ſecuri glaicie, adaperiat, per quos ſe vegetabilis aura piſcinis inſinuare, debilitatosque piſces rurſus valeat recreare. Signum evidens imbecillitatis Cyprinorum habetur, ſi velut anhelantes oſcitanteſque ad ſcrobem apertum conglobantur. Nam integri & vegeti, aut nuſquam tunc comparent, aut ſi quando apparent ſubitò inde dilabuntur. Nihil in tali caſu magis profuerit, quam novas ex flumine admittere aquas, quæ veteres expellant. Spectavi ego non ſemel, cum deficiente flumine non eſſet unde vetus expulſa è piſcinâ aqua renovaretur, Cyprinos languidiores circum ſcrobem oberrantes reticulo excipi, atque inde ad vicinum flumen reficiendi cauſa tarnsferri.

Sed hanc provinciam obire in magnis piſcinis, in magnaque piſcium multitudine, quis facile queat? Forſitan meliùs Petrus Roſenſis, Procerum in Bohemia nobiliſſimus, boniſque literis eleganter excultus, ſuis conſulebat piſcibus; excogitatâ machinulâ & rotis, quarum crebrâ ad piſcinas verſatione vitium aquarum, quod ex longa quiete contraxerant, belle perpurgabat, vireſque ita piſcium putore affectas recreabat.

Super hæc cuſtos hyberno tempore invigilet, ut vecturas operarias, quas coloni noſtri ex more obeunt, in devehunda materie ad piſcinas ſarciendas neceſſaria, conficiat, tunc cum nives adhuc ſuperſunt, cumque trahis adhuc ipſi coloni utuntur, quibus multò expeditius quam plauſtris robora ſubvehunt. Nam verno tempore magna cum moleſtia ab agro & aratro avelluntur.

Quid igitur fieri quoquo temporis intervallo ad piſcinas conveniat, jam, ut opinor, dictum eſt ſatis ſuperque.

LIBRI QVINTI
Præfatiuncula.

Quintus & ultimus reſtat hujuſce fabulæ piſcinariæ actus, cæteris (quemadmodum in comœdijs fieri ſolet) lætior, quia exitu jucundiſſimo piſcinarij exoptatiſſimoque clauditur. Nempè quæſtu & lucro, quod ex piſcatu & piſcium diſtractione provenit uberrimum. Ut enim non mœret agricola ex meſſe, nec vinitor ex vindemia, ſed potius ambo lætantur, cum fructum (qualem maximè convenit ex labore capere) percipiant: ita piſcinarius, refertam nummis ex piſcatu thecam nummariam referens, lætum canit plaudite.

Igitur primò de piſcatu & de his quæ ad piſcatum pertinent, dicemus: mox quo piſces modo ad piſcinas venundentur: dein quemadmodum veteranеæ piſcinæ reſtituantur: poſtre-

poſtremo (pro coronide) adjiciemus vivaria Salarum, quoniam fluvij, qui circum arcem rubram manant, feſtivam ejus generis piſcium nobis copiam ſuppeditarunt.

CAP. I.

De temporibus piſcandi; & quæ ante piſcatum inſtrumenta ſunt præparanda.

PIſcandi in piſcinis duo tempora eſſe tempeſtiva, vernum nimirum & autumnale, jam anteà indicavimus, cum de translatione ſeminum Cyprinorum loqueremur; ſimulque oſtendimus, utrum eorum tempus alteri præſtaret.

Sed ſive in autumno ſive in vere piſcatus contingat, fac ut inſtrumenta, quæ in piſcatum opus ſunt, ante parata habeas quàm piſcari incipias, ne pòſt in negocio negligenter incæpto ſine exitu turpiter hæreas. Inter præcipua autem opus eſt verriculis minimùm duobus, uno majuſculo altero minuſculo. Illud laxioribus maculis debet eſſe contextum, ut tenuiores piſces tranſmittat ac ſolos grandiores everrat detineatque: hoc contra & maculis & nodis contrahitur, ut fœtum Cyprinorum in piſcinis aliosque minoris incrementi piſces, & quos Ariſtoteles χύ]ούς vocat, (quaſi fuſaneos dicas, quia fuſim retibus capiantur) irretiat. Deindè poſt irretitos interceptosque piſces, opus eſt ſolijs & vaſis minimùm bifariam diviſis: ut in alteris capti Lucij in alteris Cyprini ſeponantur, tantiſper dum vel ibi ſtatim diſtrahuntur, vel dilati ad vivaria & ſecluſoria plauſtris & dolijs, quæ ſimiliter ut ſolia adeſſe debent, pervehantur. Nam minores piſciculos in naſſis & quallis, aqua defæcatiore demerſis, rectè incluſeris. Itaque quallos etiam & naſſas comparatas habere oportet: & præterea cribra & incernicula foraminibus crebris pertuſa, ut aquam continuò percolent, ac piſces, quos depromere ex ſolijs volumus, contineant, ne ſi ipſis manibus illi ſæpiùs con-

tingantur contrectenturque, injuriam ex frequenti contactu accipiant, veneantque ob eandem viliùs. Et quoniam in piſcium minutorum venditione menſura non numero utimur: vaſcula quoque ad certam menſuram dimenſa (qualia ſunt, urceoli, urnulæ, corbulæ) ut ad manum habeamus curabimus. Cuſtodemque intereà, dum piſcatus durat, piſcinis admovebimus, qui in tuguriolo, ex ſtipulis vel harundinibus temerè congeſtis in aggere excitato, agat excubias, adverſus inſidiatores & fures. In eodemque aggere palos ſuo ordine conſtituemus, in quibus uvida à piſcatu retia deſiccanda ſuſpendantur: ne illa nobis, ex aſſiduo in piſcinis cænoſoque humore, ante tempus corrumpantur.

CAP. II.

De piſcatu Cyprinorum & Luciorum.

INſtructis comparatisque ijs, quæ diximus, & ſi qua ſuper ſunt alia, quæ noſtram memoriam refugerunt, tum aquis quoque de piſcina, ad quem res poſtulat modum, ſubductis: maturum hinc eſt auſpicari piſcatum. Hora utique matutina. Siquidem mane alacri magis animo piſcatores opus aggrediuntur; & piſces non modò tunc capiuntur facilius, ſed etiam tractantur ſecurius, die videlicet nondum à ſole percalefacto. Intereſſe capturæ, ſi iteretur piſcina, pluresque ſecundo tractu quam primo trahi, exploratiſſimè prodit Plinius. Ejuſque rei hæc fortaſsè ratio erit, quod altero tractu magis quam primo aqua in piſcinis perturbatur: majoremque indè etiam oculis piſcium caliginem objicit, quàm ut facilè vitare illi inſidioſos laqueos valeant.

Jactis de more plagis primi plærunque Lucij, ijdemque maximi, in maculas incurrunt. Quoniam aviditate deprædandi ſummis ſemper feruntur aquis, atque ideò injuriæ magis etiam opportuni, quando retia item ſummis majore ex parte

aquis

aquis innatant, quæ ad excipiendos Lucios intenduntur. Contra Cyprini, qui fundum piſcinæ amant, initiò minores, poſteriùs grandiores, illaqueantur. Quocirca piſcinarij ad quæſtum callidi, quemadmodum Luciorum indicaturam ad primum ſtatim jactum præcipitant, ita Cyprinorum de induſtria procraſtinant: expectantes, dum peracto ferè piſcatu corpulentiſſimi eorum extrahantur, quos emptori ob oculos diſſimulatis vilioribus obtrudant.

Solertiæ Cyprinorum argumentum fuerit; quod ubi metus ex intentis retibus ingruit, caput repentè cœno mergunt, ut tanto procliviùs cauda lubrica & retia & piſcatores fruſtrentur. Sanè ipſi piſcatores, cum & à ſubtrahendis piſcibus ægre manus abſtineant, & ſi diutius in piſcina morantur parum diligenter cavent, ut non proculcent Cyprinos in luto deliteſcentes: identidem ſunt admonendi urgendique ut piſcatum maturè conficiant.

Nihil autem maturitati ſic conſulit, ut ſecluſoria juxtà piſcinas conſtituta; ad quæ vel ipſo dorſo vel humeris bajuli captos atque extractos piſces transferre facilè poſſunt. Nam labra & ſolia nec multos exipiunt piſces, nec diu incolumes ſervant, interimque, quod ſane damnoſum eſt, piſcatum in longum differunt.

CAP. III.

De Secluſoriis juxta piſcinas conſtituendis.

SI loci ſitus ita competat, ut in proximo ſecundum piſcinas ſecluſoria Cyprinorum collocari queant, non eſt dubitandum, quin talis ſitus, propter rationem de facili & celeri piſcium translatione jam ſtatim dictam, commodiſſimus habeatur. Sin minus id fiat, ne ſic quidem ab inſtituto erit ceſſandum, ſed alibi locus ad hanc rem aptus, ac potiſſimum ad prædium, & ſub oculis domini, veſtigabitur, & poſtquam inventus

ventus ille fuerit, foſſionibus in duos aut eo amplius cubitos deprimetur, extendeturque in cubitos duodeviginti, ultra citraque, prout commoditas & piſcium frequentia exegerit. Quippè ad eandem frequentiam numerus quoque receptaculorum definietur; ſingulaque receptacula ſic fabricanda erúnt, ut ripis circumundique & aggere concludantur.

Atque hac una re piſcinis diſſimilia habentur, quòd in receptaculis per omne in quadrum ſpacium æqualiter ſolum infoditur, ripisque quoquoverſus clauditur: cum piſcinæ magnâ ex parte pateant, vadoſisque marginibus reſtagnent. At cætera pene ſimilia. Nam & fiſtulas, & canales, & ſepta quibus piſcium fuga impeditur, ad eum prorſus modum ad quem piſcinæ recipiunt; tùm perennem quoque in propinquo undam deſiderant, ſed quæ continenter in ſecluſoria influat, alioqui ſine perpetuo undæ recentis influxu Cyprini multâ, ut fieri ſolet, frequentiâ in ſecluſorijs ſtipati non perennant.

Eiſdem ſecluſorijs ſepes circumſtruimus, ut prædonibus aditum præcludamus. Nimirum, ut vendamus, non ut perdamus, incluſos retinemus Cyprinos. Interdumque tantiſper retinemus, dum annonæ piſcium caritas intendatur. Id quod & rei, & virtuti, & gloriæ eſſe, prædicat Cato in oraculis ſuis, quæ de re ruſtica edidit. Nos nunc rationem vel ſub glacie piſcandi edemus.

CAP. IV.

Quemadmodum in piſcinis conglaciatis ſit piſcandum.

EVenit ſæpenumero diebus quadrageſimæ, qui tempora ſua, ex breviore longioreque dierum adipalium intervallo, in ſingulos annos variant, ut piſcinæ apud nos glacie adſtrictæ reperiantur.

Ne igitur eo potiſſimum tempore, quo maxime opus eſt obſonare

obſonare piſcium obſonium, glacie obſtante, piſcandi occaſio vel differatur vel amittatur: arripienda eſt ratio à vetuſtis quondam piſcatoribus, authore Æliano, uſurpata. Nam, ubi de Eridano atque Iſtro fluminibus Ælianus agit: in his conglaciatis, dicit, piſcatores ſinuoſum aliquem locum ſibi deligere, cujus glaciem peracutis ſecuribus perſecent, indeque glacie amota, locum eundem lacui ſimilem efficere, jactoque in lacum amplo verriculo, ac ſuo more explicato, piſces venari. Sic item in piſcinis noſtri quoque piſcatores Cyprinos venantur, primùm glaciem ad excipula, Cyprinis excipiendis prope canalem inſtructa, directis in quadrum limitibus circumſecantes, dein eandem glaciem aut comminuentes, aut ſi amoliri licet amolientes. Sin horum neutrum fieri poteſt propter glaciei magnitudinem, immotam illam relinquentes, ac nihilominus plagis per apertos limites ſubter glaciem explicatis deſtinatum piſcatum peragentes.

Haud vereor ne ſim ineptus, ſi indicavero potius quàm jactavero rationes, quas in hujuſcemodi piſcatu fuerim ſecutus ea quadrageſimâ, qua invictiſſimus Princeps noſter Ferdinandus Bohemorum Pannonumque & Romanorum Rex, in Moraviam veniens de ſummis rebus deliberaturus, Znoymam omnes Ordines contraxerat. Ut igitur tum, cum piſces incendebant annonam, vicinos in piſcando anteirem meos, multas ſimul operas ad perſecandam in piſcinâ glaciem, altitudine cubiti craſſam, ſecuribus extruſeram. Fervebat opus, limitesque in operas diſtributi ſtrenuè excavari cœptabantur; donec alij coloni alios in opere antevenientes, glaciem parum adhuc tempeſtivè locis quibuſdam perrumperent, inductaque in limites aquarum ſcaturigine, opus ab alijs continuari propter aſperginem prohiberent. Aderant qui breviora ſecurium manubria longioribus mutanda eſſe ſuaderent; alij dolabram molendinariam, glaciei perfringendæ comparatam, adhibendam,

dam. Utrumque à me factum eſt, ſed in utroque etiam moleſta aſpergo & mora odioſa fuit. Venit tandem ſerræ in mentem, ſi fortè illa operi præſenti adhibita, commodius munere ſuo defungeretur. Benè res iſta cecidit. Simulac enim ſerræ aliquot allatæ, operique admotæ fuerunt, continuò opus ſine ulla aſperginis injuriâ procedere, glacieſque ſerris facilè cedere properabat; ita ut jam nihil reſtaret aliud niſi piſcatus. Ad quem obeundum ſua ſponte alacres piſcatores accingebantur. Jacta ſunt non ſemel ſubter glaciem retia, caſſo ſemper & irrito conatu. Hic piſcatorum nonnulli aquas inſimulabant, partim ut nimis adhuc in piſcina exundantes, partim ut valde liquidas & defœcatas, ideoque piſcibus facultatem declinandi retia præbentes. Alij retium epidromes accuſabant, quaſi pondere leviores, quàm ut imum piſcinæ ſolum, ubi Cyprini latitarent, ſatis everrere poſſent. Additæ ſunt ad epidromes catenæ ferreæ; & feneſtræ aliquot proxime limites in glacie erant apertæ, ad conturbandam & infuſcandam contis atque ſudibus aquam. Nam ultrâ ſubduci illa, quam erat ſubducta, citra incommodum, quod ex pondere glaciei imminebat, non potuit. Placuit poſt hæc redintegrare piſcatum; ſed ne tum quidem ille ſuccedebat, propterea quod in tanta craſſitudine glaciei conti liberè agitari lutumque ut res poſcebat concire, haud poterant. Jubeo inde ego, quatuor ſimul plauſtra ad piſcinam advehenda figulari luto onerari. Quæ poſteaquam advecta ſunt, eòque loci exonerata ubi retia à piſcatoribus trahebantur: exclamant repente piſcatores, aut argillam ſe aut Cyprinos pertrahere, appropinquanteſque ripæ, amplius centum Cyprinos mirifico applauſu excutiunt, magnaſque agunt gratias aquæ luto advecto fœdatæ. Juvat mox iterare jactum, iterumque ille ſatis proſperè ceſſit. Pòſt ubi tertiò eundem repetunt, rurſus nihil piſcium capiunt: quia rurſus illi dilapſi ſe in vadis ſubter glaciem ſinuoſis occultabant.

tabant. Fortè in ipſo reditu, dum aurigæ plauſtra inania revehunt domumque redire feſtinant, piſcatores denuò plagas explicant, ac plures Cyprinos quam antea utroque jactu comprehendunt. Stupentes admiratione aurigas revocant, plauſtraque & equos per glaciem piſcinæ exagitari jubent, ipſi interim ad piſcandum intenti. Quid opus verbis? Quod nullâ ratione aſſequebamur, id caſu tandem ſumus aſſecuti, ut fœlici deinceps piſcatu perfrueremur. Nam piſces qui antea ſine ullo metu fugam adornabant, tunc verò, & ad ſtrepitum ſolearum quibus equorum ungulæ, & ad ſtridorem canthorum quibus rotarum orbes in plauſtris devinciuntur, conſternati, omiſſis fuga & latibulis, ad inſidias plagarum gregatim præcipitabantur, à piſcatoribusque nobis extrahebantur.

CAP. V.

Vnde accidat, ut in aliis piſcinis craſſiores in aliis tenuiores, interdum etiam in eadem piſcina, capiantur Cyprini.

Dubitare non oportet, quin cauſam hujuſce varietatis præter alias præcipuam natura locorum ſuſtineat. Nam ſi illa aliàs tantum pollet, ut corpora juxta atque ingenia humana valeat evariare: quid mirum, ſi eadem vim illam ſuam multiformem in bruta quoque corpora expromat? Sic autem de ea re Cicero in libro quem de fato inſcripſit: *Inter locorum,* inquit, *naturas quantum interſit, videmus, alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes; in aliis eſſe pituitoſos & quaſi redundantes, in aliis exiccatos atque aridos. Multaque ſunt alia quæ inter locum & locum plurimùm differunt. Athenis tenue cœlum, ex quo etiam acutiores putantur Attici: craſſum Thebis, itaque pingues Thebani & valentes.* Hæc Cicero. At ſimili nos quoque ratione in Cyprinis nitimur, ut eos alio loco magis quàm alio probatiores inveniri contendamus. Bohemi primam loci palmam Cyprinis in Bohemia vendicant, proximam Moravi, tertiam Sleſitæ.

Refert deinde quali aqua alantur: quippè dulcis quam amara, tepida quâm frigida, melius nutrit Cyprinos: ſicut terra quoque gleboſa & ſucculenta quam exucca & arenoſa. Mox aër item craſſus interdum atque imbrifer, quam perpetuo ſudus & ſiccus. Denique apricus vadoſus & à ventis tranquillus loci ſitus redundantiores ac valentiores efficit Cyprinos, quàm opacus tempeſtuoſus & aquis profundus, ut in quem ſol ægre penetrare ſoleat. Sol, inquam: qui non ea modò quæ extant & ſupra terram eminent, ſed etiam ea quæ inferiùs latent & aquis occultantur, ſuo calore fovet, melioraque & vegetiora facit, ut author eſt Theophraſtus.

Nam quod in una eademque piſcina alij Cyprini alijs ſucculentiores reperiuntur, id partim ex imparibus Cyprinorum ſeminibus ex diverſis ſeminarijs in unam piſcinam translatis: partim ex ſolo in quo paſcuntur, alibi in eadem piſcinâ pinguiore alibi aridiore: uſu venire plærumque ſolet. Quanquam non raro etiam ex affectione Cyprinorum quadam peculiari, ex ignota nobis cauſa oborta, habitudo ipſorum commutatur. Simile quiddam idem Theophraſtus commemorat de his quæ monogena ſunt, unamquè ſortiuntur appellationem; quod alia tamen eorum fœcunda eſſe alia infœcunda videantur: ut ilicem quandam eſſe fructiferam quandam ſterilem, & alnum pariter, cum ambæ nihilominus floreſcant. Id verò nemo ferè ignorat, piſcinam quamlibet, quæ rariùs quàm quæ ſpiſſiùs fuerit ſeminibus conſita completaque, tum ſpecie corporis tum ſuavitate ſaporis, multò commendatiores Cyprinos alere.

CAP. VI.

Alternis ne, an in ſingulos annos, ad ſingulas piſcinas, piſcari magis expediat?

MOs hic ad piſcinas quaſi ſolennis retinetur, ut in ſingulis piſcinis, quæ nutriendis Cyprinis deſtinatæ fuerint, altero

altero demum anno piſcatio celebretur. Nec enim una æſtate bimus fœtus piſcinæ creditus, nec item ſemper trimus ſatis pergliſcere poteſt, ſed minimùm opus habet biennij ſpacio, ad ſaginam & legitimum incrementum accipiendum. Idque ita, ut ſtatim dixi, ſolenniter à piſcinarijs obſervatur.

Præter hunc tamen uſurpatum morem Princeps meus Stanislaus, diu primus in Moravia ac ſolus, ædificatâ ſibi ad vicum Medricium non pœnitendâ piſcinâ, velut ex novali facere illam ſibi reſtibilem aggreſſus eſt, quotannis eandem obſerens ac demetens. Hac ſane ratione. Complures ei aliæ piſcinæ viliores ad arcem & oppidum, cui Vuiſchcovo nomen, aderant; non in aliam rem magis fructuoſæ, quàm ut fœtum Cyprinorum ſeminarent foverentque. Eas porrò piſcinas ſic habet diviſas, ut æqualem ei in ſingulos annos liceat ex illis fœtum deligere. Deligiturque fœtus trimo nunquam minor, nec major quadrimo; ſed uterque ex eo numero, qui lætam indolem & ad ſaginam appoſitam præ ſe ferat, quò melius celeriuſque ſaginetur, inſtruatque opimis epulis menſas lautiores; ad quas propter tempeſtivam ætatem quadriennis aut quinquennis inprimis vocatur. Nam citra annos quatuor fluxâ adhuc carne, ultra quinque tenaciore inſulſioreque eſſe incipit. Nec tamen idem Stanislaus ſolo fœtus delectu eſt contentus; ſed curat præterea, ut in ſingulos autumnos piſcatus peragatur, ut ipſa piſcina à ſubductis aquis totam inſequentem hyemem ad recuperandas vires, quas ex humore æſtivo amiſit, nacta, vernali rurſus tempore ſucculentum vernactum & alendis Cyprinis idoneum, præbeat.

Sed niſi copiâ fœtus Cyprinorum abundaveris, hæc piſcandi ratio parum tibi profuerit. Quocircà ſi plures quam unam poſſideas fructuarias in fundo piſcinas, ita facilè aſſequi poteris, ut quotannis æqualiter illas diviſas habueris, alternatimque ex dimidiato piſcatum annuum inſtitueris,

CAP. VII.

De Cyprinis ad piſcinas diſtrahendis.

CYprini, qui ad piſcinas, ſtatim ut extracti retibus fuerint, venales proponuntur, aliquanto ſunt vendibiliores ijs, qui ex piſcinis in vivaria translati diutius aſſervantur. Ut enim illis habitus adhuc corporis integer gratiam apud emptores conciliat: ita iſtis per captivitatem diminutus precium quoque imminuit. Nihil autem faciliùs eſt quam piſces diſtrahere, ſi adſit emptor qui illos emere velit. Neque enim in vendendis illis novo aliquo jure utimur, aut quidquam de ſanitate vel probitate eorum invicem ſpondemus ſtipulamurque: cum piſces rariſſimè langueant, & guſtu approbare illos vel improbare cuivis liceat.

Aliter autem Bohemi atque Moravi Cyprinos ad piſcinas divendunt. Illi enim ſuas emptoribus vaſe propemodum urnali admetiuntur, conſtituto priùs in ſingulas urnas certo precio. Iſti per ſaxaginta numerant quoſcunque extrudunt venales: contenduntque certiorem atque etiam æquiorem videri ſuam rationem quàm Bohemorum, propterea quod numerus ſemper ſibi in ſummâ conſtet, non item menſura, quæ pro impari Cyprinorum magnitudine ſæpius illam ipſam ſummam divariat. Precium in ſexaginta Cyprinos ſummum octo aureos minimum ſeſquiaureum Moravi conſtituunt. Pro ſitu videlicet regionis aucta vel diminuta licitatione. Siquidem in eâ parte Moraviæ, quæ ad ſuperiorem Pannoniam pertinet, ubi nunc Auſtria eſt, bis terque tanto licentur Cyprinos, quam in eâ, quæ pertinet ad Sleſitas qui in locum Quadorum ſucceſſerunt. Non tamen mihi valdè diſplicet Sleſitarum ratio, quâ in auctione Cyprinorum utuntur, ſeorſum maximos, ſeorſum medioxumos, & minimos, auctionantes. Vetus enim eſt: *æqualitatem haud parere bellum*: *at inæqualitatem diſcordiarum non parvum eſſe fomitem.* Statim emptor, & ſine

& ſine lite cum venditore tranſigit, ubi pares ſtaturâ Cyprini venundantur: contra multum litigat, ſi inæquales & in unam velut turbam minores cum majoribus confuſos ſibi à venditore videt obtruſos. Licitator enim tunc, qui minimos Cyprinorum digito indicat eosque diſſimulatis majoribus precio minimo ut liceatur apponit: venditore diverſo qui maximo, propter eos qui maximi inter cæteros apparent. In hoc ſane concordant Bohemi Moravi Sleſitæ, ut Lucios venales non ad menſuram ſed ad numerum ſexagenarium venum exponant. Similiterque aliam piſcium in piſcinis turbam miſcellaneam omnes pariter vaſculis admetiuntur potius, quàm ullo numerant numero: haud enim facilè eſt numero comprehendere turbam.

Sed cum nonnihil admirationis plæriſque afferat, accreſcentibus piſcinis ac piſcibus ſimul quoque accreſcere annonæ piſcium caritatem, explicanda obiter reddendaque cauſa ejus rei eſſe videtur.

CAP. VIII.

Cur fiat, ut auctis piſcinis precium quoque Cyprinorum augeatur?

CAuſa ejus rei duplex eſſe putant, una domi nata altera peregrè allata; atq; utraq; (ut verum fateamur) producta ex gulæ intemperantia, quæ ſicut nullum eſcariæ voluptati, ita nec ſumtibus, quibus talis voluptas emitur, modum terminat. In delicijs autem epularum Cyprinum paſſim haberi, adeò jam lippis, quod dicitur, & tonſoribus notum eſt, ut ne ipſi quidem lippi & tonſores apud nos ſine Cyprino lautiora ineant convivia. Ut primores populi taceam; qui eandem in jentacula prandia cœnas & commeſſationes diſtribuunt: ſimili intemperantia ipſe populus utitur, menſasque ſuas Cyprino, quoties haberi poteſt, libentiſſimè onerat. Populum urbanum ruſtici ſequuntur atque imitantur, eo potiſſimum tempore, quo nundinandi

dinandi gratiâ oppida & vicos ſubeunt, non antea rus inde repetentes quam Cyprino eoque cariùs redempto ingluviem expleverint ſuam. Quaſi nullus æque ſaperet, atque ille qui magno emptus eſt. Ita enim apud Martialem ruſtica quoque avis canit:

Ruſtica ſum Perdix. quid refert, ſi ſapor idem?
Carior eſt Perdix; ſic ſapit illa magis.

Domi igitur poſteaquam tanta aviditate Cyprinus ab omnibus Ordinibus appetitur: quid mirum, ſi quantum fames ejus creſcit, tantum quotidiè increſcat precium, certatim omnibus ad emendum eundem concurrentibus?

Quid deinde foris? nonne omnia fere per Germaniam ſuperiorem diverticula Cyprinum apud nos emptum, non ſolum occupare, ſed etiam piſces ſe nobiliores anteire deprehendimus? Diverti jampridem in oppidum Alpinum, cui Oeniponti vocabulum, ad hoſpitem: ab eodem exigens, ut mihi ſalares piſces ad cœnam apponeret. Ibi hoſpes: ſi piſcium, inquit, deſiderio teneris, aliquanto ſuaviores quam ſalares ſint tibi ſtatim exhibuero. Nec cunctatus affert Cyprinos, paulo ante ex Bohemiâ advectos, plenoque ore laudes eorum celebrat; nunc cum Carpionibus Benacinis nunc cum Salmonibus Rhenanis comparans. Me nihil plane adverſante, quod de gloria meorum popularium agi videbam; interim tamen poſcente, ut dilatis in craſtinum Cyprinis, præſentem mihi cœnam additis ſalaribus accumularet. Paret hoſpes; cœnamque ſalaribus jentaculum Cyprinis inſtruit: itaque ratione carius Cyprinos quam ſalares æſtimat. Quo ego perſpecto ad comites ajo: Deſinamus poſthac mirari, cur precia Cyprinis intendantur, quando pluris eos apud peregrinos. quam ſalares æſtimari videmus.

Nosque indè non modò ad novas piſcinas amplificandas, ſed etiam ad veteres renovandas, convertamus.

CAP. IX.

Quemadmodum veteraneæ piſcinæ reſtituantur.

HUmor perpetuo in piſcinis reſtagnans facit, ut illæ ante tempus ſeneſcant. Tunc autem ſeneſcere intelliguntur piſcinæ, cum ubere ipſo terræ ſuccoque & viribus per continuam aquarum redundantiam exhauſtis, ad alendos piſces minùs habentur habiles. Idque mali noſtrâ plærunque culpâ eis acceleratur, dum avidi ad rem nimis ſumus; perpetuiſque fructibus inhiantes, perpetuò etiam piſcinas, ſine ulla remiſſione, aquis oneramus. Obliti quid præcipiat agricolis Virgilius, cum dicit:

Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiêre ſitu dureſcere campum.

Conducit autem hoc præceptum non minus piſcinarijs quam agricolis; ut piſcinæ videlicet ſimiliter atque agri reſtibiles ceſſantibus novalibus recreentur & inſtaurentur. Fieri verò talis ceſſatio atque intermiſſio in piſcinis ſolet, poſt annum octavum aut decimum, id eſt, poſt quartum aut quintum legitimum piſcatum, qui biennio quolibet celebrari conſuevit. Nec diutius quies durat, quam dum unus in ſe revolvitur annus, haud ipſe quoque tunc ſterilis. Siquidem licet piſcinas humore vacuas ſeminibus frugum conſerere, meſſeque interim perfrui; licet item poſt unam ſtatim æſtatẽ piſcari, ſi fœtu Cyprinorum trimo deſiccatam recreatamque piſcinam repleveris.

Cæterum ſi illæ ipſæ piſcinæ multis annis multaque ætate adeo inveteraverint, ut viribus planè deficiantur, effætæque reddantur; nequaquam tunc ſatis fuerit, uno duntaxat anno requietas illas feriatasque relinquere, ſed addendus erit alter & tertius annus ad ubertatem reparandam. Ita ut primus piſcinas malè affectas levi vomere proſcindat, largo ſtercore ſaturet, atque eo illas ſemine conſerat quod

in effæto etiam ſolo facilè provenire ſolet. Cujus generis ſemina ſunt tum Milij, tum Panici, tum Lupini, aliàs ſtercoris etiam vicem præbentis, quotieſve ſimul cum ſuo ſarculo inaratur. Anno altero pabula jam robuſtiora ſulcis in piſcina exaratis mandare: Tertio frumentaria ſemina quantumvis prævalida ſpargere ſimulque metere poteris. Ita fiet, ut nullus ſine fructu annus tibi præterierit, donec piſcina penſionem ſolennem ex piſcatu ſolvere incipat. Authorem habeo Equeſtris ordinis virum longo uſu & experientia probatum: ſemen nullum eſſe, quod ſatum meliùs piſcinas pariter atque piſces opimet, quàm ſemen papaveris, ſi à maturitate ſua in piſcina ipſa relinquatur papaver, ut ibidem ſemen ex calicibus effundat ſuum.

Sed diutiùs fortaſſe Salares, quam dignatio eorum fert, differuntur.

CAP. X.

De vivariis Salarum.

Olim jam ego Auſonio aſſentiens Salarem eum piſcem appello, quem vulgo Truttam cognominant. Sic verò Auſonius Salarem ſuo ſibi colore in Moſella ſua depingit:

Purpureisque Salar ſtellatus tergora guttis.

Quoniam alter præterea Salar eſt & ipſe ſtellulas velut nobilitatis inſigne in tergore præferens, ſed nigricantes; quem vos Germani Oeſchenum nominatis. Uterque porrò Salar dictus à ſaltatu eſſe videtur, quia in præcipitibus torrentibus ſublimiter ſaltitat, ac præſertim purpuratus ille, qui bene alta ſepta facile tranſilit. Sed idem clauſtra perbelle patitur; cum ille alter nigricantibus ſtellulis ſtellatus clauſtrorum impatientiſſimus habeatur, protinusque ut ex aquis ſuis in aërem eſt extractus moritur.

Priori igitur apud nos à piſcinarijs elegantioribus vivaria nuper inſtitui cœpta ſunt; non ſane in quæſtum aliquem, ſed

ſed in lautitiam epularumque magnificentiam. Inſtituendi autem eorum ratio, quod ad longitudinem & latitudinem formamque attinet, conſimiliter ferè ſeſe habet, atque ſecluſoriorum, de quibus paulò ante diximus, niſi quod vivaria ſalarum altiùs deorſum perfodiuntur. Quantò enim altius reſtagnant aquæ, tantò diutius rigorem ſuum in fundo retinent, quod eſt gratiſſimum ſalaribus. Nam ut liquidas defœcataſque ita frigidas ſemper aquas deſiderant, & ſolum in fundo arenoſum glareoſumque; quale, ſi non ad manum adeſt, aliunde arena & glarea advecta conſterni debet. Tum ripæ vivarij ſilice per circuitum præmuniri debent, non eò ſolum ut ne terra ſubſidat nullo fulta pariete, ſed etiam ut ſalares habeant ſuas latebras, in quas ſe per æſtum & tempeſtates abdere queant. Ideoque parietes rimoſos, ac muſco duntaxat viridi interjecto coagmentatos, facimus, ut per foraminum raritates, & per muſci viriditatem eadem fere copia divertendi in latebras ſalaribus fiat, quæ fieri ſolet in alveis & ripis fluminum, in quibus, ubi liber eſt, libentiſſimè diverſatur. Debet autem fluminis unda aſſiduò vivaria ſalarum permeare, quoniam plus obeſt illis unda ſtagnans quam prodeſt muſcus & glarea. Obeſt inſuper eiſdem æſtus fervida æſtate concitatus. Eum alij objectu arborum & umbra arcent: quidam glaciem, quam infrigidandis poculis per totam æſtatem in puteis aſſervant, vivarijs immergunt; ſimulque famiper tempus eorum occurrunt, ne ex illâ aliter in alterius lanienam efferaretur. Eſca appoſitiſſima habetur ſoboles Cyprinorum, vel alburni, vel rivales haleculæ. Nam qui jecuſculis minutim conciſis vel alia carne ſaginantur, parùm gratum habent ſaporem.

Vix concinnior inſtitui commodiorque hujuſcemodi vivariorum oeconomia poteſt, quàm eſt haud magno ſpatio ab arce Pardubicia à Proceribus Bernſteynis inſtituta. Trifariam

ſunt vivaria diviſa, triplicique varietate ſalares per ſingula ſeparati. In primo vivario grandiores, utpotè herili menſæ deſtinati, adnatant: in altero mediocres: in tertio minimi. Quia utrique in ſupplementum deſcripti, ut ſibi certus numerus in ſuo quoque vivario ſemper conſtet, pèr continuam in deſideratorum locum ſubſtitutionem.

EPILOGVS.

HÆc fere ſunt, mi Antoni, quæ de piſcinis commemoranda in mentem mihi venerunt. Nunc nihil aliud admonendum ſupereſt, quàm ut non ſolum boni ſed etiam juſti patris familias officio defungamur, quotiens inſtituendis augendisque piſcinis curam intendimus. Nequaquam nos ad imitationem quorundam componentes, qui contemptâ omni æquitate & præterea in colonos ſuos humanitate, quidam eorum illos agris, alij pratis, alij paſcuis, nonnulli totis pagis, ſubmovent exturbantque. Ut ipſi in loca violenter occupata ſuccedant, piſcinasque ſibi in alieno pro libidine conſtituant: quaſi non liceat ſine injuria & incommodo ditioni noſtræ ſubjectorum utilitati quemque ſuæ conſulere. Quemadmodum videlicet ſibi conſulunt juris æquitatisque & humanitatis cultores; paria nimirum, ſi non ampliora, ubique locorum cum colonis ſuis facientes, hoc eſt, agros reſtibiles reſtibilibus, novales novalibus, paſcua loca paſcuis, prata rigua riguis, penſantes. Quòd ſi facultas par pari referendo non adeſt, tertiam amplius quam acceperint partem in rerum permutatione colono adjicientes.

Si meliora his nobis domi, unde hæc depromi omnia oportuit, nata fuiſſent, meliora tibi libentiſſime, mi Antoni, deprompſiſſemus. Nunc *pro opibus* (ut dicitur) *mænia condidimus*; ſi nullâ forſitan re aliâ, at ipsâ interim novitate, placitura.

MARCI

MARCI TERENTII VARRONIS

DE

RE RVSTICA

LIBRI TERTII

CAP. XVII.

Ad Lectorem
H. CONRINGIVS.

CVm duo ſint ſcribendi genera, alterum ἀυτοπρόσωπον, alterum διαλογικὸν, in utroq; multum valuiſſe M. Terentium Varronem, vel pauci illi qui ex quamplurimis ſuperſunt, de Latina lingua & Re Ruſtica libri luculentè oſtendunt. Ac διαλογικὸν quidem tum demum probè ſeſe habet, ſi dramatis in morem ſit confectum: eoq; rari ex hoc ſcribendi genere laudem conſecuti ſunt, etiam veteri in ævo. Cæterùm Varronem vere fuiſſe artificem in dialogico illo ordine, non minus atq; apud Græcos quondam Platonem & Romanos inter Tullium, dubio procul ſaltim tot Satyræ Menippeæ nos docerent niſi periiſſent, etiamnum autem loquuntur plane tres de Re Ruſtica libri. Et vero in eorum ſingulis novum drama inſtituit lepidus & perurbanus, licet jam octogenarius, ſenex. Ex tertio libro, qui de villaticis eſt paſtionibus ad Q. Pinnium, ut primus de Agricultura ad uxorem Fundaniam, alter de Pecuaria ad Turannium Nigrum, excerpſimus quæ ſequuntur de piſcinis. Vbi fabulæ argumentum cum hoc eſſet; ſeſe Varronem & Axium ſenatorem, ſimulac ſuffragium tuliſſent comitiis ædilitiis candidato ſuo, inque villam publicam, interim dum diriberentur ſuffragia, ſole æſtuante, conceſſiſſent, inveniſſe ibi Appium Claudium augurem eiq; in ſubſelliis aſſidentes, à ſiniſtra Cornelium Merulam Conſulari familia ortum, & Fiſcellium Pavonem Reatinum, ad

dextram Minutium Picam & M. Antonium Paſſerem, hóſque inter de Villaticis paſtionibus habitos ſermones eſſe: quænam ad ultimum depiſcinis illi diſſeruerint, hîc adfertur in medium. Fuit autem, ſicuti

Vir doctiſſimus undecunque Varro

(*quem Terentiani elegantem de illo verſiculum S. quoque Auguſtinus approbavit*) & *Ruſticæ etiam Rei omnis longe peritiſſimus, ita reapſe opulentus pariter prudens ac ſplendidus agricola. Ipſemet ſane præfatione libri ſecundi, qui de re pecuaria eſt,* grandes ſe pecuarias habere, in Appulia oviarias in Reatino equarias, *profitetur. Imo verò,* ſibi ovium greges in Appulia hybernare, qui in Reatinis æſtivabant, *prodit ejuſdem libri ſecundo capite. Memorat ipſe & fundum ſuum in Tuſculano, emptum à M. Piſone. Ac tum quidem in ejus leporario non fuiſſe multos apros, ceu ait tertio capite libri tertii: ad quantas delitias tamen vivarium illius fundi à Varrone pòſt fuerit provectum, ut appareat, merentur hîc quoque legi quæ ſcribuntur ejuſdem libri capite tertiodecimo.* Aprosquidem haberi poſſe in leporario, nec magno negotio ibi (*ita ſcribo*) & captivos & cicures qui ibi nati ſunt pingues ſolere fieri, ſcis inquam Axi. Nam quem fundum in Tuſculano emit hic Varro à M. Pupio Piſone, vidiſti ad buccinam inflatam certo tempore apros & capreas convenire ad pabulum: cum è ſuperiore loco è palæſtra apris effunderetur glans, capreis vicia aut quid aliud. *Varronem denique ſub Caſino opido, voluptatis ſolùm capiendæ*

cauſſa,

cauſſa, artificioſum conſtruxiſſe Ornithona, liquet ex cap. 4. *&* 5. *ejusdem tertii libri. Nam capite quidem quarto ita legitur:* Duo ſunt Ornithonis genera: Vnum delectationis cauſsâ; ut Varro hic noſter fecit ſub Caſino, quod amatores invenit multos. *Sequente capite cum Appius Varronem in hæc verba fuiſſet allocutus:* Tu dic illud alterum genus Ornithonis, qui animi cauſſa conſtitutus à te ſub Caſino fertur: in quo diceris longè viciſſe non modo *ἀρχέτυπον* inventoris noſtri *ὀρνιθοτροφείων* M. Lænii Strabonis, qui Brundiſii hoſpes noſter primus in periſtylo habuit exhedra concluſas aves, quas paſceret objecto rete, ſed etiam in Tuſculano magno ædificii Luculli. *Tum Varro ipſe Ornithonem illum prolixa diſſertatione ita ob oculos quaſi ponit, ut non temere uſquam hodie illi ſupparem reperiri dixeris, ſive ſplendore ſive artificioſa ſtructurâ. Quæ ideo heic addenda duxi, ut Varroni noſtro ſua, quam meretur, apud Lectorem quantumvis elatioris etiam animi conſtet auctoritas, de piſcinis ævi ſui ſermonem facienti.*

M. TER.

M. TER. VARRONIS

Libri

DE RE RUSTICA TERTII

CAPUT ULTIMUM.

INterea redit ad nos Pavo, &, ſi vultis, inquit, anchoras tollere, latis tabulis ſortitio fit tribuum, ac cœpti ſunt à præcone renuntiari quem quæque tribus fecerint ædilem. Appius confeſtim ſurgit, ut ibidem candidato ſuo gratularetur, ac deſcenderet in hortos. Merula, Tertium actum de paſtionibus villaticis poſtea, inquit, tibi reddam Axi.

Conſurgentibus illis, Axius mihi (reſpectantibus nobis, quod & candidatum noſtrum venturum ſciebamus) non laboro, inquit, hoc loco diſceſſiſſe Merulam; reliqua enim ferè mihi ſunt nota. Quod cùm piſcinarum genera ſint duo, dulcium & ſalſarum; Alterum apud plebem & ſine fructu, ubi lymphæ aquam piſcinis noſtris villaticis miniſtrant: illæ autem maritimæ piſcinæ nobilium, quibus Neptunus ut aquam ſic & piſces miniſtrat, magis ad oculos pertinent quàm ad veſicam, & potius marſupium domini exinaniunt quàm implent. Primum enim ædificantur magno, ſecundò implentur magno, tertiò aluntur magno. Hirrius circum piſcinas ſuas, ex ædificijs duodena millia ſeſtertia capiebat; eam omnem mercedem eſcis, quas dabat piſcibus, conſumebat. Non mirum: uno tempore enim memini hunc Cæſari ſex millia muræ narum mutua dediſſe in pondus, & propter piſcium multitudinem quadragies ſèxtertio villam veniſſe. Quare noſtra piſcina ac mediterranea plebeia rectè dicitur dulcis, & illa amara. Quis enim noſtrûm non unâ contentus eſt hac piſcinâ? Quis con-

 trà

trà maritimas non ex piſcinis ſingulis plures conjunctas habet? Nam ut Pauſias & cœteri pictores ejusdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſint ceræ· ſic hi loculatas habent piſcinas, ubi diſpares diſcluſos habeant piſces. Quos, perinde ut ſacri ſint, ac ſanctiores quàm illi in Lydià, quos ſacrificanti tibi Varro ad tibicinem Græcum gregatim veniſſe dicebas ad extremum littus atque aram, quod eos capere auderet nemo, cùm eodem tempore inſulas Ludinorum ibi corroſas vidiſſes: ſic hos piſces nemo cocus in jus vocare audet. Q. Hortenſius familiaris noſter, cùm piſcinas haberet magnâ pecuniâ ædificatas ad Baulos, ita ſæpè cum eo ad villam fui, ut illum ſciam ſemper in cœnam piſces Puteolos mittere emptum ſolitum. Neque ſatis erat eum non paſci piſcinis, niſi eos ipſe paſceret ultrò: ac majorem curam ſibi haberet, ne ejus eſurirent mulli, quàm ego habeo, ne mei in Roſea eſuriant aſini. Et quidem utraq; re, & cibo & potione; cùm non paulò ſumptuoſius quàm ego his miniſtraret victum. Ego enim uno ſervulo, hordeo non multo, aquâ domeſticâ, meos multinumos alo aſinos. Hortenſi⁹, primùm, qui miniſtrarent, piſcatores habebat complures: & ij piſciculos minutos aggerebant frequenter, ut à majoribus abſumerentur. Præterea ſalſamenta in eas piſcinas emptitia conjiciebat cùm mare turbaretur: uti per tempeſtatem ſuis piſcibus è macello cetariorum, uti è mari, obſonium præberet, cùm neque everriculo illi in litus educere poſſent vivam ſaginam plebeiæ cœnæ piſces. Celeriùs voluntate Hortenſii ex equili educeres rhedarias, ut tibi haberes, mulas, quàm è piſcina barbatum mullum. At inquit ille, non minor cura ejus erat de ægrotis piſcibus quàm de minus valentibus ſervis. Itaque minùs laborabat, ne ſervus æger quam aquàm frigidam biberent ſui piſces. Etenim hac incuria laborare ajebat M. Lucullum, & piſcinas ejus deſpiciebat; quod æſtivaria idonea non haberet

bereſt, ac reſidem aquam & in locis peſtilentibus habitarent piſces ejus. Contrà ad Neapolim L. Lucullus, poſteaquam perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas quæ reciprocæ fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu: factum eſt enim, ut amatos piſces ſuos videatur propter æſtus eduxiſſe in loca frigidiora: ut Appuli ſolent pecuarij facere, quod propter calores in montes Sabinos pecus ducunt. In Bajano autem tanta ardebat cura, ut architecto permiſerit ut ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduceret ſpecus è piſcinis in mare, objectaculo quo æſtus bis quotidie ab exorta luna ad proximam novam introire ac redire rurſus in mare poſſet ac refrigerare piſcinas.

Nos hæc: At ſtrepitus à dextra. Et eccum recta candidatus noſter deſignatus ædilis. Cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium proſequimur: ille inde eundo ſuam domum, nos noſtram.

Opinionis noſtræ ſermonem de paſtione villaticâ ſummatim hunc, quem expoſui, habeto.

L. IUN. MODERATI COLUMELLÆ DE

RE RVSTICA

LIBRI OCTAVI CAPVT XVI & XVII.

Ad Lectorem
H. CONRINGIVS

PRinceps citra controverſiam veterum Rei Ruſticæ ſcriptorum eſt Columella: ſive plenam accuratamque omnigenæ hujus diſciplinæ tractationem, ſive dictionis elegantiam ſpectemus. Longo certè intervallo etiam Varronem ipſum antecedit, perinde ut Catonem Varro. Ordinem autem in docendo Varronianum ſequutus eſt. Quæ enim fere conſumant ruris exercendi colendiq; ſcientiam libris prioribus quinque, ſexto & ſeptimo quæ pecuariæ negociationis exigit ratio, villaticam vero paſtionem octavo & nono eſt perſecutus. Hiſce decimum adjecit de hortorum cultu, & carmine quidem: eximium ſeſe probans Maronis æmulatorem. Quod argumentum hactenus ità fuerat aggreſſus nemo. Et vero etiam Virgilius hæc

ſpacijs diſcluſus iniquis
Prætericns alijs poſt ſe memoranda reliquit:

nec qui exſequeretur invenit alium quam Columellam. Niſi præſtitum id à Gargilio etiam Martiale, credere quis velit Servio. Quem tamen ego memoria lapſum arbitror, cum Martialis illius liber quidem de hortis memoretur ſed proſa ſcriptus oratione. Quod liquet ex iis quæ frequenter inde promit Palladius: ut & ex hiſce Caſsiodori quæ habentur l. 1. Inſtitution. cap. 28. De hortis ſcripſit pulcherrima Gargilius Martialis, qui ad nutrimenta olerum & virtutes eorum diligenter expoſuit. *Fortaſsis vero hodieque latet alicubi*

 Marti-

Mortialis ille: cùm Petro Victorio fuerit codex MSS. optimæ notæ Varronis, addito Martialis nomine, ſed mutilus, quod teſtatur præfatione Caſtigationum ſuarum Varronianarum. Cæterum quid intra villam agi denique debeat ab homine quidem villicationi præfecto, libro undecimo, quid à villica autem duodecimo, Columella docuit. Qui de Arboribus agit liber, & tertium in nonnullis codicibus locum occupavit, non equidem negaverim eſſe Columellæ: non eſt tamen magni illius operis pars, ſed alterius quo in epitomen videtur alterum illud contractum; adeoque rectè jam tum iudicio virorum doctorum ſemotus eſt, licet bonam partem verbis iisdem conſtet, quæ in libris magni operis tertio quarto & quinto reperiuntur. Et verò memorat Caſſiodorus laudato jam loco ſexdecim libros Columellæ: quorum quatuor ultimis videtur illa quam dixi Epitome grandioris operis conſtitiſſe. Caſſiodori verba ſunt: Columella ſexdecim libris per diverſas agriculturæ ſpecies eloquens ac facundus illabitur; diſertis potius quam imperitis accommodus, ut operis ejus ſtudioſi non ſolum communi fructu ſed etiam gratiſſimis epulis expleantur. *Natus autem fuit quidem Columella in Hiſpania Gadibus: ſcriptum tamen inſigne hoc volumen me judice in Italiâ eſt. Hinc Roma ipſi audit* civitas noſtra: *indicantque idipſum luculenter hæc præfationis in librum primum verba.* Itaque in hoc Latio & Saturniâ terra, ubi dij cultus agrorum progeniem ſuam docuerant, ibi nunc ad haſtam locamus, ut nobis ex transmarinis provincijs advehatur frumentum

mentum ne fame laboremus: & vindemias condimus ex inſulis Cycladibus ac regionibus Bæticis Gallicisque. *Vineas quoque in agro Albano Corſeolano & Ardeatino ſibi cultas, memorat ipſe cap. 9. quas Italicas eſſe haud dubito, non Hiſpanas ceu viſum Philippo Beroaldo. Et vero jam in Hiſpania degens jus habuit civitatis Romanæ, natus ſcilicet in municipio: qualium opidorum quàm ampla tùm conditio fuerit, notum eſt eruditis.*

Exhibemus autem hic in præſens, pro ratione inſtituti, tantum ea quæ Columella inter villaticas paſtiones de re piſcinaria docuit. Paulò quidem pluribus quàm à Varrone factum: vitio tamen luxuriæ Romanæ, neutiquam rem illam omnem ex dignitate perſequens, aut cum Dubravio hoc in argumento comparandus.

Quoniam veri paulo ante ex Caßiodori libro Divinarum lectionum adducta quædam ſunt, fortaßis haud abs re fuerit ſubjungere hoc loco, quæ in Adverſariis, datâ occaſione hac inſpectis, ante complures annos juvenis admodum de illo Caſſiodori opere annotavi. Eſt autem hoc. Dum Caßiodorus, aulæ ſeculique curis ſepoſitis, in monaſterium propriis ſumptibus conditum ſeſe abdidiſſet, in monachorum ſuorum, hominum rudium, gratiam libros duos conſcripſit Divinarum humanarumque Inſtitutionum; qui hodie quidem ſuperſunt ſed ita disjectis & corruptis partibus, ut hactenus nemo juſtam illius voluminis rationem fuerit aſſecutus. Cæterum duos eſſe libros ſcriptos, & quodnam utriusque fuerit argumentum, accipi poteſt ex Præfatione libri qui hodie inſcribitur Divi-

narum

narum lectionum titulo. Quæ legenda ſunt, *ait*, his duobus libris aptiſſime ſuis locis & breviter indicantur. *Item* Quod ego arbitror duobus libris qui ſequuntur, eſt breviter intimatum. *Item:* Habetis in Primo volumine antiqui ſeculi magiſtros præſentes ſemperq; paratiſſimos *&c.* In Secundo verò libro de artibus ac diſciplinis pauca libanda ſunt. *Hanc ſectionem voluminis alii quique obſervaverunt; ſed dum librum ſecundum à cap. 24 exorſi ſunt graviter erraverunt. Nec enim in ſequentibus capitibus de artibus ac diſciplinis quidquam eſt libatum: & diſerte cap. 27 profitetur, ſequente libro* artes ac diſciplinas cum ſuis diviſionibus paucis attingere ſe velle. *Item ait:* Sit ergo antiquiorũ liber opus noſtrum, ut quæ illi latius pluribus codicibus ediderunt nos breviſſimè ſecundo volumine pandamus. *Cap. etiam 28 mentionem facit* libri ſequentis. *Cum verò nec in reliquis capitibus de artibus ac diſciplinis quidquam habeatur, etiam illa ad librum primum referenda ſunt. Quia ſecundo autem volumine artes ac diſciplinas Caſſiodorus eſt perſequutus, ſuperſuntque breves illius introductiones in Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, & Mathematicas diſciplinas, per ſit veroſimile, hæc olim conſtituiſſe librum illum ſecundum. Sunt tamen & illa lacera miſerè & corrupta. Cumprimis autem Dialectica laborant. Pagina enim editionis illius Genevenſis quæ ſeculi hujus anno 19 prodiit, cum dixiſſet:* Ariſtoteles quando librum περὶ ἑρμενείας ſcribebat, calamum in mente tingebat, *perperam ſubjungitur:* Definitionum

prima

prima eſt ſubſtantialis &c. *Quæ autem verè ſequi debebant habentur demùm pag.* 1045. *hoc initio :* In libro de Interpretatione prædictus philoſophus de his tractat &c. *Qui ſermo continuus fluit ad hæc usque ſequentis paginæ verba* : Sunt hæ definitiones. *Subjungenda autem proxime ſunt quæ habentur pag.* 1400 *hoc initio :* Modi formulæ primæ ſunt novem : *&* *quæ ſequuntur uſque ad pag.* 1045 *hæc verba* : In libro de Interpretatione. *Vbi recurrendum eſt ad pag.* 1038. *verba illa :* Definitionum prima. *Quæ continuantur ad pag.* 1400 *hæc uſque* : Modi formulæ &c. *Subnectendum enim tum demum eſt illud quod pag.* 1046 *legitur* : Sunt hæ definitiones. *In eundem porro librum irrepſit integrum fere opuſculum Boëtii de Topicis differentiis : quod facile iterum à Caßiodorianis ſeparari poteſt. Eſt autem ab hoc ſecundo volumine planè diverſum illud de Orthographia volumen : imo hoc ſcriptum eſſe dudum poſt illas Inſtitutiones & quidem anno ætatis 93 diſerte legitur in eius præfatione : in ſecundo enim libro non niſi pauca perſtinxerat* περὶ ὀρθογραφίας. *Alterum tamen iſtud orthographicum opus jam promiſit præfatione Inſtitutionum hiſce verbis :* Paravi quoque quantum potui priſcos Orthographos invenire &c. *Sed de hiſce plus quam ſatis. Et verò fateor ab argumento inſtituto eſſe hæc alieniſſima. Spero tamen veniam me inventurum: quoniam etſi non hîc alibi tamen queant prodeſſe, & niſi fortè fortuna hæc in Adverſariis nunc occurriſſent, nunquam*

à me fuiſſent monita. Sed & cum reti non piſces ſolos ſed aligam & lutum quoque piſcari ſoleamus, aliquid etiam inutilis limi eſt fortaſsis non magnum nefas piſcinario noſtro negotio admiſceri. Apprime tamen utile eſt Caſsiodori hoc opus, cum ad alia tum notitiam librorum præſertim Eccleſiaſticorum, qui illa tempeſtate fuerunt in manibus.

L. IVN. MODERATI COLVMELLÆ

Libri Octavi

DE RE RVSTICA

CAPVT XVI.

De piſcinis & piſcibus alendis.

VErum opportunè, dum meminimus aquatilium animalium, ad curam perveniemus piſcium. Quorum reditum quamvis alieniſſimum agricultoribus putem (quid enim tàm contrarium excogitare queam, quam terrenum fluido?) tamen non omittam. Nam & hàrum ſtudia rerum majores noſtri celebraverunt; adeò quidem, ut etiam dulcibus aquis marinos clauderent piſces, atque eadem curâ mugilem ſcarumque nutrirent, qua nunc muræna & lupus educantur. Magni enim æſtimabat vetus illa Romuli & Numæ ruſtica progenies, ſi urbanæ vitæ comparetur villatica, nulla parte copiarum defici. Quamobrem non ſolùm piſcinas, quas ipſi conſtruxerant, frequentabant, ſed etiam quos rerum natura lacus fecerat, convectis marinis ſeminibus replebant. Inde Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulſinenſis & ciminus lupos auratasque procreaverunt, ac ſiqua ſint alia piſcium genera dulcis undæ tolerantia, Mox iſtam curam ſequens

ætas

ætas abolevit, & lautitiæ locupletum maria ipſa Neptunumq; clauſerunt, & jam cum avorum memoria circumfertur M. Philippi (velut urbaniſſimum, quod erat luxurioſiſſimum) factum atque dictum. Nam is fortè Caſſini, cùm apud hoſpitem cœnaret, appoſitumque è vicino flumine lupum deguſtaſſet, atque expuiſſet, improbum factum dicto proſecutus, Peream, inquit, niſi piſcem putavi. Hoc igitur perjurium multorum ſubtiliorem fecit gulam, doctaque & erudita palata faſtidire docuit fluvialem lupum, niſi quem Tyberis adverſo torrente defatigaſſet. Itaque Terentius Varro, Nullus eſt, inquit, hoc ſeculo nebulo ac rhynthon, qui non jam ducat, nihil ſua intereſſe, utrum ejuſmodi piſcibus an ranis frequens habeat vivarium. Attamen iisdem temporibus, quibus hanc memorabat Varro luxuriem, maximè laudabatur ſeveritas Catonis. Qui nihilominus & ipſe tutor Luculli, grandi ære ſeſtertium millium quadringentorum piſcinas pupilli ſui venditabat. Iam enim celebres erant delitiæ popinales, cùm ab mari deferrentur vivaria. Quorum ſtudioſiſſimi velut ante devictarum gentium Numantinus & Iſauricus, ita Sergius Orata, & Licinius Muræna captorum piſcium lætabantur vocabulis. Sed quondam ſic mores obcaluere, non ut hæc uſitata, verum ut maximè laudabilia & honeſta judicarentur: nos quoque, ne videamur tot jam ſeculorum ſeri caſtigatores, hunc etiam quæſtum villaticum patris familiâs demonſtrabimus. Qui ſive inſulas, ſive maritimos agros mercatus, propter exilitatem ſoli, quæ plerumque littori vicina eſt, fructus terræ præcipere non poterit, ex mari reditum conſtituat.

Hujus autem rei quaſi primordium eſt naturam loci contemplari, quo piſcinas facere conſtitueris; non enim omnibus littoribus omne genus piſcium haberi poteſt. Limoſa regio planum educat piſcem; velut ſoleam, rhombum, paſſe-

rem. Eadem quoque maximè idonea eſt conchylijs, muricibus, & oſtreis, purpurarumque tum concharum pectunculis, balanis vel ſphondilis. At arenoſi gurgites planos quidem non peſſimè, ſed pelagios melius paſcunt; ut auratas ac dentices, Punicasque & indigenas Vmbraſve: verùm conchylijs minus apti. Rurſus optime Saxoſum mare nominis ſui piſces nutrit, qui ſcilicet, quod in petris ſtabulentur, ſaxatiles dicti ſunt, ut merulæ turdique nec minùs melanuri.

Atque ut littorum, ſic & fretorum differentias noſſe oportet, ne nos alienigeni piſces decipiant. Non enim omni mari poteſt omnis eſſe; ut helops, qui Pamphylio profundo nec alio paſcitur: ut Atlantico faber, qui & in noſtro Gadium municipio generoſiſſimis piſcibus adnumeratur, eumque priſca conſuetudine Zeum appellamus: ut ſcaurus, qui totius Aſiæ Græciæque littoribus Sicilia tenus frequentiſſimus exit, nunquam in Liguſticum, nec per Gallias enavit ad Ibericum mare. Itaque ne ſi capti quidem perferantur in noſtra vivaria, diuturni queant poſſideri. Sola ex pretioſis piſcibus muræna, quamvis Tarſenſis Carpathijque pelagi, quod eſt ultimum, vernacula, quovis hoſpes freto peregrinum mare ſuſtinet. Sed jam de ſitu piſcinarum dicendum eſt.

CAPVT XVII.

De poſitione piſcinæ.

STagnum cenſemus eximiè optimum, quod ſic poſitum eſt, ut inſequens maris unda priorem ſubmoveat; nec intra conſeptum ſinat remanere veterem. Namque id ſimillimum eſt pelago; quod agitatum ventis aſſidue renovatur: nec concaleſcere poteſt, quoniam gelidum ab imo fluctum revolvit in partem ſuperiorem. Id autem ſtagnum vel exciditur in petra, cujus rariſſima eſt occaſio, vel in littore conſtruitur opere ſignino. Sed utcunque fabricatum eſt, ſi ſemper influente gurgi-

gurgite riget, & habere debet ſpecus juxta ſolum; eorumque alios ſimplices & rectos, quo ſecedant ſquamoſi greges, alios in cochleam retortos, nec nimis ſpatioſos, in quibus murænæ deliteſcant. Quanquam nonnullis commiſceri eas cum alterius notæ piſcibus non placet: quia ſi rabie vexantur, (quod huic generi velut canino ſolet accidere) ſæviſſimè perſequuntur ſquamoſos, plurimosque mandendo conſumunt. Itineraque, ſi loci natura permittit, omni lateri piſcinæ dari convenit. Facilius enim vetus ſubmovetur unda; cum quacunque parte fluctus urget per adverſam patet exitus. Hos autem meatus fieri cenſemus per imam conſepti partem; ſi loci ſitus ita competit, ut in ſolo piſcinæ poſita libella ſeptem pedibus ſublimius eſſe maris æquor oſtendat: nam piſcibus ſtagni hæc in altitudinem gurgitis menſura abunde eſt. Nec dubium, quin quanto magis imo mari venit unda, tanto ſit frigidior, quod eſt aptiſſimum nantibus. Sin autem locus, ubi vivarium conſtituere cenſemus, pari libra cum æquore maris eſt, in pedes novem defodiatur piſcina; & infra duos à ſumma parte cuniculus rivi perducatur, curandumque eſt, ut quam largiſſimè veniant, quoniam modus ille aquæ jacentis infra libram maris non aliter exprimitur, quàm ſi major recentis freti vis inceſſerit. Multi putant in ejuſmodi ſtagnis longos piſcibus receſſus & flexuoſos in lateribus ſpecus eſſe fabricandos, quo ſint opaciores æſtuantibus latebræ. Sed ſi recens mare non ſemper ſtagnum permeat, id facere contrarium eſt. Nam ejuſmodi receptacula nec facilè novas admittunt aquas, nec niſi difficulter veteres emittunt: plusque nocet putris unda, quàm prodeſt opacitas. Debent tamen ſimiles velut cellæ parietibus excavari; ut ſint, quæ protegant refugientes ardorem ſolis, & nihilominus facile quam conceperint aquam remittant. Verùm meminiſſe oportebit, ut rivis per quos exundat piſcina, præfigantur ænei exiguis foraminibus cancelli,

 quibus

quibus impediatur fuga piſcium. Si verò laxitas permittit è littore ſcopulos, qui præcipue herbis algæ veſtiuntur; non erit alienum per ſtagni ſpatia diſponere, & quantum comminiſci valet hominis ingenium, repræſentare faciem veri maris, ut clauſi quàm minime cuſtodiam ſentiant.

Hac ratione ſtabulis ordinatis aquatile pecus inducemus, ſitque nobis antiquiſſimum meminiſſe etiam in fluviabili negotio quod in terreno præcipitur, & quid quæque ferat regio. Neque enim ſi velimus, ut in mari nonnunquam conſpeximus, in vivario multitudinem mullorum paſcere queamus, cùm ſit molliſſimum genus & ſervitutis indignantiſſimum. Raro itaque unus aut alter de multis millibus clauſtra patitur. At contrà frequenter animadvertimus intra ſepta pelagicos greges inertis mugilis & rapacis lupi. Quare, ut propoſueram, qualitatem littoris noſtri contemplemur, ſi vitemus ſcopulos, an probemus. Turdi complura genera, merulaſque & avidas muſtellas, tùm etiam ſine macula (nam ſunt & varii) lupos includemus. Item flutas, quæ maximè probantur, murænas; & ſi quæ ſunt aliæ ſaxatilis notæ, quarum pretia vigent. Nam vile ne captare quidem, nedum alere conducit. Poſſunt iſta eadem genera etiam littoris arenoſi ſtagnis contineri: nam quæ limo cœnoque luteſcunt, ut ante jam dixi, conchilijs magis & jacentibus apta ſunt animalibus.

Neque eſt eadem lacus poſitio, quæ recipit cubantes: atque eadem præbentur cibaria & proſtratis piſcibus & erectis. Namque ſoleis ac rhombis, & ſimillimis animalibus, humilis in duos pedes piſcina deprimitur, in ea parte littoris quæ profluo receſſu nunquam deſtituitur. Spiſſi deinde clathri marginibus infiguntur, qui ſuper aquam ſemper emineant, etiam cùm maris æſtus intumuerit. Mox præjaciuntur in gyrum moles; ita ut complectantur ſinu ſuo, nec tamen excedant ſtagni modum. Sic enim & maris atrocitas objectu cre-

pidinis frangitur, & in tranquillo conſiſtens piſcis ſedibus ſuis non exturbatur, neque ipſum vivarium repletur algarum congerie, quam tempeſtatibus eructat pelagi violentia. Oportebit autem nonnullis locis moles intercidi more Mæandri, parvis ſed anguſtis itineribus, quæ quantalibet hyemis ſævitia mare ſine fluctu transmittat.

Hinc eſca jacentium mollior eſſe debet quàm ſaxatilium. Nam quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt; mandere quidem non poſſunt. Itaque præbere convenit tabenteis haleculas, & ſalibus exeſam chalcidem, putremque ſardiniam, nec minus ſcaurorum branchias, vel quicquid inteſtini pelamis aut lacertus gerit: tùm ſcombri, charcharique, & elacatæ ventriculos; & ne per ſingula enumerem, ſalſamentorum omnium purgamenta, quæ cetariorum officinis everruntur. Nos autem plura nominavimus genera, non quia cuncta cunctis littoribus exeunt, ſed ut ex his aliqua, quorum erit facultas, præbeamus. Facit etiam ex pomis viridibus adaperta ficus. Et nuces digitis infractæ ſunt dandæ: nec minus elixum molle ſorbum, quique ſunt cibi ſorbilibus proximi, ut mulctra, recens caſeus, ſi loci conditio vel lactis annona permittit. Nulla tamen æquè quàm prædictæ ſalſuræ pabula commodè dantur, quoniam odorata ſunt; omnis enim jacens piſcis magis naribus eſcam quàm oculis veſtigat. Nam dum ſupinus ſemper cubat ſublimius aſpectat, at ea quæ in plano ſunt dextrâ lævâque non facilè pervidet. Itaque cùm ſalſamenta objecta ſunt, eorum ſequens odorem pervenit ad cibos. Cœteri autem ſaxatiles aut pelagici ſatis ex his, ſed ex recentibus melius paſcuntur. Nam & halecula modò capta, & cammarus exiguusque gobio, & quiſquis denique eſt incrementi minuti piſcis majorem alit. Si quando tamen hiemis ſævitia non patitur ejus generis eſcam dari, vel ſordidi

panis

panis offa, vel ſiqua ſunt temporis poma conciſa præbentur. Ficus quidem arida ſemper objicitur, eximiè ſi ſit (ut Bœticæ Numidiæque regionum) larga. Cœterum illud committi non debet, quod multi faciunt, ut nihil præbeant: quia ſemet ipſos etiam diu clauſi tolerare poſſint. Nam niſi piſcis domini cibarijs ſaginatur, cum ad piſcatorium forum perlatus eſt, macies indicat eum non libero mari eſſe captum, ſed de cuſtodia elatum, propter quod plurimum pretio detrahitur.

Atque hæc villatica paſtio finem præſenti diſputationi faciat, ne immodico volumine lector fatigetur.

C. PLINII SECVNDI
NATVRALIS HISTORIÆ
LIBRI NONI
CAPVT LIV. LV. LVI.

Cum

FRANCISCI MASSARII VENETI
in eadem capita
Commentario.

Ad Lectorem
H. CONRINGIVS.

IN vaſto opere Naturalis Hiſtoriæ integri duo nec ſpernendi libri ſunt C. Plinii Secundi de aquatilibus: Alter Nonus de natura aquatilium, alter Triceſimus Secundus de medicinis quæ ex aquatibus accipi ſolent. Nos tamen ex iis nihil duximus nunc excerpendum præter pauca admodum, quibus vivaria oſtrearum murænarum & cochlearum ſui ævi Plinius eſt perſecutus: quod hoc argumentum unicè nunc illuſtrandum ſuſceperimus. Sunt tamen & illa momenti non magni, ſed potiſſimùm æſtimanda ſua vetuſtate; quodque hodienum cum fructu poſſint [me quidem judice] locis commodis vivaria iſtiuſmodi inſtitui, etſi nuſquam amplius in uſu fortaſſe ſint.

Quo rectius autem Pliniana illa intelligantur, ex doctisſimis Franciſci Maſſarij Caſtigationibus & Annotationibus in nonum librum Plinii, jungi fecimus ea duntaxat quibus iſthæc de vivariis capita ſunt illuſtrata. Et verò cùm omnem aquatilium naturam Maſſarius ille, ipſa maria ſcrutando experiundoque, pernovit, tum antiqua monumenta hujus generis familiariſſima ſibi reddidit, & præ aliis in hiſce Plinianis exornandis præbuit ſe excellentem. Secuti autem ſumus editionem à Michaële Vaſcoſano anno ſuperioris ſeculi Chriſtiani ſecundo quadrageſimo Lutetiæ curatã, cum quinquennio ante Beatus Rhenanus vir eximius aliam ex Frobeniana officina protuliſſet, quarum utraque in pauciſſimorum eſt manibus.

C.PLI-

C. PLINII NATVRALIS HISTORIÆ *LIBRI NONI*

CAPVT LIV.

De vivariis Oſtrearum, & quis ea primus invenerit.

Oſtrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano, ætate L. Craſſi Oratoris, ante Marſicum bellum; nec gulæ cauſa ſed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio ſuo percipiens, ut qui primus penſiles invenit balineas; ita mangonizatas villas ſubinde vendendo. Is primus optimum ſaporem Oſtreis Lucrinis adjudicavit. Quando eadem aquatilia genera alibi atq; alibi meliora: ſicut Lupi piſces in Tiberi amne inter duos pontes, Rhombus Ravennæ, Murænæ in Sicilia, Elops Rhodi; & alia genera ſimiliter, ne culinarum cenſura peragatur. Nondum Britannica ſerviebant littora, cum Orata Lucrina nobilitabat: poſtea viſum tanti, in extremâ Italia petere Brunduſium Oſtreas: ac ne lis eſſet inter duos ſapores, nuper excogitatum, famem longæ advectionis à Brunduſio compaſcere in Lucrino. Eadem ætate prior Licinius Muræna, reliquorum piſcium vivaria invenit: cujus deinde exemplum nobilitas ſecuta eſt, Philippus, Hortenſius. Lucullus, exciſo etiam monte juxta Neapolim majore impendio quàm villam ædificaverat, euripum & maria admiſit: qua de cauſſa Magnus Pompeius Xerxem togatum eum appellabat. Quadraginta ſeſtertijs è piſcina defuncto illo veniere piſces.

CAP. LV.

Quis primus Murænarum vivaria fecerit.

Murænarum vivarium privatim excogitavit C. Hirrius ante alios, qui cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris ſex

millia numero Murænarum mutua appendit. Nam permutare quidem precio noluit aliave merce. Hujus villam intra quàm modicam quadragies piſcinæ vendiderunt. Invaſit deinde ſingulorum piſcium amor. Apud Baulos in parte Bajana piſcinam habuit Hortenſius orator, in qua Muræuam adeò dilexit, ut exanimatam fleſſe credatur. In eadem villa, Antonia Druſi Muræ quam diligebat inaures addidit, cujus propter famam nonnulli Baulos videre concupiverunt.

CAP. LVI.

De Cochlearum vivariis, & quis primus inſtituit.

Cochlearum vivaria inſtituit Fulvius Hirpinus in Tarquinienſi, paulò ante civile bellum quod cum Pompeio Magno geſtum eſt. Diſtinctis quidem generibus earum; ſeparatim ut eſſent albæ, quæ in Reatino agro naſcuntur; ſeparatim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Africanæ, quibus fœcunditas: Solitanæ, quibus nobilitas. Quin & ſaginam earum commentus eſt ſapa & farre, alijsque generibus, ut Cochleæ quoque altiles ganeam implerent. Cujus artis gloria in eam magnitudinem perductæ ſunt, ut octoginta quadrantes caperent ſingularum calices. Auctor eſt M. Varro.

FRANCISCI MASSARII VENETI

Commentarius ad Caput LIV.

Oſtrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano, ætate L. Craſſi oratoris, ante Marſicum bellum; nec gulæ cauſa ſed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio ſuo percipiens: ut qui primus penſiles invenit balineas; ita mangonizatas villas ſubinde vendendo. Is primus optimum ſaporem Oſtreis Lucrinis adjudicavit.]

Hæc ſumpta eſſe videntur à M. Varrone, ut Macrobius tertio

tertio Saturnaliorum teſtatur libro: *Eodem enim modo*, inquit Varro, *Licinios appellatos Muranas, quo Sergius Orata cognominatus eſt, quod ei piſces qui aurata vocantur cariſſimi fuerint.* Etenim auratam piſcem & oratam dici apud Feſtum reperimus, à colore auri, quod ruſtici orum vocabant. De his etiam idem Varro tertio de re ruſtica & Columella libro octavo meminerunt. Hic eſt Sergius Orata, qui, ut Valerius Maximus Plinius & Macrobius teſtantur, primus balineas penſiles habuit, primus oſtrearia in Bajano locavit, primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adjudicavit. Fuit autem ætate L. Craſſi, illius diſerti; qui quàm gravis & ſerius habitus ſit etiam Cicero docet. Eſt autem Lucrinus lacus Campaniæ in ſinu Bajano, contra Puteolos, propinquus Averno lacui, dictus à lucro propter multitudinem piſcium qui ibi capiebantur. In quem oſtrea aliunde advecta, depaſtaque ibidem, meliora fiunt. *Gaudent* enim, ut inquit Plinius libro trigeſimo ſecundo, *& peregrinatione, transferrique in ignotas aquas. Sic Brunduſina in Averno compaſta, & ſuum retinere ſuccum & à Lucrino adoptare creduntur. Dicemus & de nationibus, ne fraudentur gloriâ ſuâ littora: ſed dicemus aliena lingua, quæque periſſima hujus cenſuræ in noſtro ævo fuit. Sunt ergo Mutiani verba, quæ ſubjiciam. Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, ſuaviora Getulicis, acriora Leptiicis, pleniora Lucenſibus, ſicciora Coryphantenis, tenuiora Iſtricis, candidiora Circeienſibus. Sed his neque dulciora neque teneriora eſſe nulla, compertum eſt. In Indico mari Alexandri rerum authores pedalia inveniri prodidere. Nec non inter nos Nepotis cujusdam nomenclator tridacna appellavit; tantæ amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda eſſent.* Oſtrea alvum movent authore Celſo; in qua ſententia & Galenum fuiſſe video, qui & omnium aliorum teſtatorum nobiliſſimam carnem habere teſtatus eſt.

Sicut lupi piſces in Tiberi amne inter duos pontes) De lupo Tyberino inter duos pontes capto M. Varro, C. Titius, & Lucilius,

cilius, ut author eſt Macrobius, mentionem fecerunt. Quibus & Horatium & Iuvenalem addimus.

Rhombus Ravennæ) Verum dicit Plinius: ſunt enim ibidem optimi, magni, & pulcherrimi. Et eſt Rhombus, ut inquit Athenæus, qui Græcè pſitta dicitur, quare Lynceus Samius cum in epiſtolis inquit pſittas circa Eleuſina Atticæ pulcherrimas eſſe, Rhombos intelligit.

Murænæ in Sicilia, Elops Rhodi) Marcus Varro ſecundo de Re Ruſtica, *Non enim*, inquit, *ſi murenæ optimæ flutæ ſunt in Sicilia, & Elops in Rhodo, continuò hi piſces omni mari ſimiles naſcuntur.* Macrobius item libro Saturnaliorum tertio, *Et ſi*, inquit, *enumerare velim quàm multi magnique authores muranas è freto Siculo nobilitarint, longum ſiet. Sed dicam quid M: Varro, in libro qui inſcribitur Gallus de admirandis dixerit his verbis. In Sicilia manu capi murenas flutas, quod hæ in ſumma aqua præ pinguedine fluitent: & præter hos Licinius Macer, Nicander, Archelaus, Columella, Martialis & Iuvenalis meminere.*

Nondum Britannica ſerviebant littora.) Oſtrea Britannica poſt Lucrina inventa ſunt; quæ & Rutupina ab oppido littorali Iuvenalis appellavit.

Eadem ætate prior Licinius Murana reliquorum piſcium vivaria invenit, cujus deinde exemplum nobilitas ſecuta eſt, Philippus, Hortenſius) M. Varro tertio de Re Ruſtica. *Sic noſtra ætas, in quam luxuria propagavit leporaria, ac piſcinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piſcium revocavit. Nam propter hos appellati Sergius Orata, Licinius Murena. Quis enim propter nobilitatem ignorat piſcinas Philippi, Hortenſii, & Lucullorum?* Et infra eodem libro: *Quintus Hortenſius familiaris noſter, cùm piſcinas haberet magna pecunia ædificatas ad Baulos, ita ſæpè cum eo ad villam fui, ut illum ſciam ſemper in cœnam piſces Puteolos mittere emptum ſolitum: neque ſatis erat eum non paſci piſcinis niſi eos ipſe paſceret ultro, ac majorem curam ſibi haberet, ne ejus eſurirent mulli, quam ego habeo ne*

mei

thei in Roſea eſuriant aſini, & quidem utraque re, & cibo & potio-ne, cum non paulò ſumptuoſius quàm ego his miniſtret victum. Ego e-nim uno ſervulo, ordeo non multo, aqua domeſtica meos alo aſinos. Hortenſius primum qui miniſtrarent piſcatores habebat complures, qui piſciculos minutos aggerebant frequenter, ut à majoribus abſumeren-tur. Præterea ſalſamenta in eas piſcinas emptitia conjiciebat cum ma-re turbaretur, uti per tempeſtatem ſuis piſcibus è macello cetariorum, uti è mari obſonium, præberet, cum neque verriculo illi in littus edu-cere poſſent vivam ſaginam, plebeiæ cœnæ piſces. Celerius voluntate Hortenſii ex equilis educeres rhedarias, ut tibi haberes, mulas, quàm è piſcina barbatum mullum. *At*, inquit ille, *non minor cura ejus e-rat de ægrotis piſcibus, quàm de minus valentibus ſervis. Itaque mi-nus laborabat ne ſervus æger quàm aquam frigidam biberent ſui pi-ſces. Etenim hac incuria laborare ajebat M. Lucullum & piſcinas e-jus deſpiciebat, quod æſtuaria idonea non haberet, ac in reſidem a-quam & locis peſtilentibus habitarent piſces ejus.* Itemque Macro-bius; *Piſcinas autem quam refertas habuerunt precioſiſſimis piſcibus Romani illi nobiliſſimi principes, Lucius Philippus & Hortenſius, quos Cicero piſcinarios appellat?*

Lucullus, exciſo etiam monte juxta Neapolim majore impendio quàm villam ædificaverat, euripum & maria admiſit) M. Varro eodem tertio de re ruſtica: *Contra ad Neapolim L. Lucullus po-ſteaquam perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in pi-ſcinas, quæ reciproca fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu. Factum eſſe enim ut amatos piſces ſuos videatur propter æſtus eduxiſſe in loca frigidiora, ut Appuli ſolent pecuarii facere, qui propter calores in montes Sabinos pecus ducunt. In Bajano autem tanta ardebat cura, ut ar-chitecto permiſerit ut ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduce-ret ſpecus è piſcinis in mare, objectaculo quo æſtus bis quotidie ab ex-orta luna adproximam nonam introite ac redire rurſus in mare poſſet, ac refrigerare piſcinas.*

Quadraginta HS. piſcina à defuncto illo veniere piſces) Legen-dum

dum videtur quadringentis, non quadraginta: ex Columella lib. 8. de re ruſtica. *Attamen,* inquit, *iiſdem temporibus, quibus hanc memorabat Varro luxuriem, maximè laudabatur ſeveritas Catonis, qui nihilominus & ipſe tutor Luculli grandi ære ſeſtertium millium quadringentorum piſcinas pupilli ſui venditabat.* Macrobius etiam quadringentis millibus vendidiſſe ſcribit.

Ad CAPVT LV.

M*Vrænarum vivarium privatim excogitavit C. Hirrius ante alios, qui cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris ſex millia numero murænarum mutua appendit. Nam permutare quidem precio noluit aliave merce. Hujus villam intra quàm modicam quadragies piſcinæ vendiderunt. Invaſit deinde ſingulorum piſcium amor)* M. Varro tertio de re ruſtica. C. *Hirrius circa piſcinas ſuas ex ædificiis duodena millia ſeſtertia capiebat. Eam omnem mercedem eſcis, quas dabat piſcibus, conſumebat. Non mirum: uno tempore enim memini hunc Cæſari ſex millia murænarum mutua dediſſe in pondus, & propter piſcium multitudinem quadragies ſeſtertio villam veniſſe.* Idem quoque retulit Macrobius ex authoritate ipſius Plinii.

Apud Baulos in parte Bajana piſcinam habuit Hortenſius Orator, in qua murænam adeò dilexit, ut exanimatam fleſſe credatur.) Macrobius hoc non Hortenſio, ſed L. Craſſo tribuere videtur, his verbis: *Fuit autem Sergius Orata ætate L. Craſſi illius diſerti, qui quam gravis & ſerius habitus ſit, etiam Cicero docet. Is tamen Craſſus vir Cenſorius (nam cum Cn. Domitio Cenſor fuit) cùm ſupra cæteros diſertus haberetur, eſſetque inter clariſſimos cives princeps, tamen murænam in piſcina domus ſuæ mortuam atratus tanquam filiam luxit. Neque id obſcurum fuit, quippe collega Domitius in Senatu hoc ei quaſi deforme crimen objecit; neque id confiteri Craſſus erubuit, ſed ultro etiam (ſi diis placet) gloriatus eſt Cenſor, piam affectuoſamque rem feciſſe ſe jactans.* Cœterùm Valerius Maximus libro nono, & Plinius libro decimo ſeptimo, qui L. Craſſum Cenſorem cum

cùm Cn. Domitio fuiſſe confirmant, ſcribentes, cùm inter ſe de luxuria atque libidine decertarent, ſibique nonnulla invicem objeciſſent, nullam de murenæ à Craſſo defletæ objectione mentionem faciunt; forſitan quia non niſi de objectionibus ad luxuriam & exquiſitiorem cultum pertinentibus altercatio fuerat. Et hoc etiam æſtimandum relinquo.

In eadem villa Antonia Druſi murenæ quam diligebat inaures addidit.) Inaures ſunt ornamenta quæ ab aure pendent, ut annuli aurei, ut nunc quoque in Italia geſtare incipiunt. Plinius XXXII libro inquit: *Item in Labradij Iovis fonte anguillas; & eas inaures additas gerunt.*

Ad CAPVT LVI.

C*Ochlearum vivaria inſtituit Fulvius Hirpinus, & cætera.*) Hic fuit Fulvius Hirpinus, qui ut meminit Plinius libro octavo, primus togati generis ſuum cœterorumque ſylveſtrium animalium vivaria, & ut hîc refert, cochlearia in Tarquinienſi agro inſtituit, generaque earum quæ plurima ſunt, ſeparatim ſuis quæque locis collocabat.

Separatim ut eſſent albæ quæ in Reatino agro naſcuntur: ſeparatim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Africanæ, quibus fœcunditas: Solitanæ, quibus nobilitas. Quin & ſaginam earum commentatus eſt ſapa & farre, aliiſque generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent: cujus artis gloria in eam magnitudinem perducta eſt, ut octoginta quadrantes caperent ſingularum calices.) Hæc omnia à M. Varrone tertio de Re Ruſtica ſumpta ſunt. Vbi docet, quo pacto fieri debeant cochlearia. Ait enim, *Genera cochlearum ſunt plura, ut minutæ albulæ quæ afferuntur è Reatino, & maximæ quæ de Illyrico apportantur, & mediocres, quæ ex Africa afferuntur. Non quod in his regionibus quibuſdam locis eæ magnitudinibus non ſint diſpariles. Nam & valdè amplæ ſunt quædam ex Africa, quæ vo-*

cantur Solitanæ, ita ut earum calices quadrantes octoginta capere poſſint. Et ſic in aliis regionibus eadem inter ſe collata & minores ſunt & majores. Hæ in fœtura pariunt innumerabilia. Earum ſemen minutum ac teſta molli diuturnitate obdureſcit. Magnis inſulis in areas factis magnum bolum deferunt æris. Has quoque ſaginare ſolent ita, ut ollam cum foraminibus incruſtent ſapa & farre, ubi paſcantur: quæ foramina habeat, ut intrare aër poſſit. Vivax enim hæc natura. Quæ & alvum movent, authore Celſo. Cœterum duræ ſunt, ut inquit Paulus Aegineta.

CON-

CONSTANTINI PORPHYROGENETÆ IMPERATORIS

OPERIS GEOPONICI

LIBER XX.

JANO CORNARIO *interprete.*

H. CONRINGIVS
Lectori S. P.

POſt Plinium primus omnium, qui in piſcibus capiendis juvare quem poſſit, eſt OPPIANVS. *Eximius ſanè poeta: & cujus carmina vere regio quidem atq; inuſitato præmio affecit Imperator Antoninus Caracalla, non ſupra meritum tamen ſed infra. Cumprimis vero Halieutica quantum judico ſummam merentur palmam: perinde atque fortunata integritate præſtant Cynegeticis. Nos tamen opus illud præclarum hoc loco non damus: idque quoniam à piſcinario negotio, quod excolere noſtri eſt inſtituti, iſthæc Halieutica ſint alieniora: opus porro illud eius ſit magnitudinis ut in ſupplementum Dubraviani voluminis venire nequeat: ad hoc perquam ſuaviter quidem hæc Halieutica ſonent Poëticis auribus, minus apta tamen ſint uſui civilis vitæ, quem nos potiſſimùm habemus propoſitum: quia deniq; plæraq; eorum ſunt hodie perobſcura, & noſtræ tempeſtati exigua ex parte commoda. Iisdem ferè de cauſſis nec Halieutica* NASONIS *fragmenta hîc iungere voluimus: quantumvis nimirum etiam illa idonea aliis rebus eſſe & laude digna, neutiquam negaverimus.*

Poſt Oppianum porro nihil ſive Græcum ſive Latinum ex omni ævo vetere uſq; ad Porphyrogenetæ Conſtantini Geoponica ſuperat, quod aliquo modo noſtri poſſit argumenti videri. Reliqui enim nobis quidem ſunt PALLADII *de Re Ruſtica elegantes libelli: verùm in iis de Piſcinis, quales hîc à nobis tractan-*

tractantur, h.e. de aquatilium vivariis, *nē verbulo quidem agitur.* *Etenim libri primi titulus primus triceſimus* de piſcinis *quidem inſcribitur, totus vero non niſi ita ſonat.* Piſcinæ duæ vel ſolo impreſsæ vel cœſo lapide circa villam eſſe debent, quas facile eſt aut fonte aut imbre ſuppleri: ut una ex his uſui ſit pecoribus vel avibus aquaticis; alia madefaciat virgas, & coria, & lupinos, & ſi quæ ruſticitas conſuevit infundere. *Alibi toto in opere de piſcium cultura aut piſcatione vix verbulum reperias. Id quod ego factum arbitror, quia uni Italiæ videntur piſcium vivaria, Varroni quidem & Columellæ memorata, fuiſſe tum aliquo in uſu; ſuam autem illam de Re Ruſtica doctrinam Palladium in Gallia ut hominem Gallum conſcripſiſſe, per eſt veroſimile. Nec verò aquatilium talia clauſtra quæ in Galliis fuerint, quiſquam illius ævi ſcriptorum laudavit. Cum ſanè circa Moſellam tale quid vidiſſet Auſonius, dixit:*

Huic proprium eſt, clauſos conſepto gurgite piſces
Apricas ſcopulorum inter captare novales:

quia ſcilicet alibi in Galliis id ignotum eſſet. Fateor tamen, Palladio fundos füiſſe etiam extra Galliam, in Sardinia imò & in territorio Neapolitano: quorum meminit tit. x de citreo agens inter Martii menſis labores. An egit fortaſſis Palladius de noſtris quoque piſcinis, ſed parte operis quæ periit? Enimvero quatuordecim integros libros ruſtici argumenti à ſeſe ſcriptos diſertè ipſemet affirmat, illo ad Paſiphilum verſu:

 Bis

Bis ſeptem parvos,opus agricolare, libellos
Quos manus hæc ſcripſit.

Hodie autem non niſi tredecim libelli ſuperant. Quartus decimus enim quidem nunc audit ille qui carmine agit de Inſitione: *verùm illud perperam fieri, liquidò patet ex verſibus ſequentibus, quibus bis ſeptem de Re Ruſtica libros proſa oratione ſcriptos affirmat, & quidem ante illum de Inſitione. Ut ipſe loquitur:*

Parte ſilente pedum
Nec ſtrictos numeris nec Apollinis amne fluentes.

Periiſſe autem librum aliquem Palladiani operis, non eſt mirum: cum Caſſiodoro nonniſi duodecim libri fuerint in manibus. Ita enim ille loquitur c. 28. l. divinar. lection. Æmilianus (*ſic appellat ſuo cognomento Palladium*) explanatos duodecim libros de hortis vel pecoribus aliiſque rebus planiſſima lucidatione diſſeruit. *Quicquid ſit: certum eſt, de Piſcinis noſtris in ſuperſtite Palladiano opere altum eſſe ſilentium. Etiam tum tamen, imo ſequiore adhuc ævo, piſcinas aquæ marinæ in Italia conſtrui ſolitas, ex ipſò illo Caſſiodoro liquidum eſt. Ita enim ille ſequente capite 29 ſuos monachos alloquitur.* Maria quoque vobis ita ſubjacent, ut piſcationibus variis pateant, & aptus piſcis cum libuerit vivariis (*ſic emendo pro* variis) poſſit includi. Fecimus enim illic, juvante Domino, grata receptacula, ubi ſub clauſtro fideli vagetur piſcium multitudo: ita conſentanea montium ſpeluncis, ut nullatenus ſe ſentiat captum,

ptum, cui libertas eſt eſcas ſumere, & per ſolitas ſe cavernas abſcondere.

Veriſſimum tamen eſt id quod ante diximus, nihil ex omni illo ævo antiquo, præter pauca quæ memoravimus, de piſcinario negocio reliquum eſſe, donec CONSTANTINI *Porphyrogenetæ Imperatoris Novæ Romæ literatiſſimi auſpiciis, inter Geoponicas eclogas, de piſcinis quoque & piſcatione ſingularis liber confectus eſt. Illud Geoponicum opus non eſſe ab ipſomet Imperatore collectum, nemo quidem etiam non monitus facile exiſtimabit. Quî enim id confecerit, Imperii negotiis à prima uſq; pueritia, Leone patre maturè mortuo, admotus? Sed & quæ præmittitur operi Præfatio, creditur illud Imperatori conſecrare, eòq; non obſcurè oſtendere auctorem alium. Dubitatum tamen hactenus eſt ab eruditis, num huic Porphyrogenetæ Conſtantino an Pogonato opus ſit conſecratum, quisnam porrò ſit tandem ille operis collector, aliis aliud aſſerentibus. Cœterum Pogonato hac in re quidquam deberi, dubito num quisquam præter Ianum Cornarium affirmaverit. Fuit autem Cornarius vir Græcè Latinèque longe doctiſſimus, deque Theologia, Philoſophia, Medicina, compluribus optimis Scriptoribus Græcis Latine verſis, præclare & æternùm meritus. Singulatim quoq; gratiæ illi debentur immortales, quod cum operis Geoponici non niſi unicus Græcus codex manuſcriptus ex Matthæi Aurogalli Bohemi doctiſſimi Medici Bibliotheca ipſi obtigiſſet, illum ſtatim Latinè loqui fecerit: jamque anno ſuperioris ſeculi trigeſimo ſeptimo edidiſſet, niſi lentæ operæ typographi-*

graphicæ viri ſtudium fuiſſent remoratæ. Nec enim alia de cauſſâ operis Græci editio anno uno Latinam anticipivavit. Neutiquam tamen poſſum viro illi inſigni de Pogonato Conſtantino aſſentiri. Non enim de illo quidquam tale memorari ſolet, quod de hoc Conſtantino in præfatione legitur. Nempe quod Philoſophiam ac Rhetoricam jam diſperditas retraxerit in lucem: quod alias omnes ſcientias atq; artes renovaverit: quod denique militiam ſacerdotium & agriculturam exornare ſuſceperit. Sed de illo nihil pene non improbum ſpurcum & inhumanum narrant hiſtoriæ. Porphyrogenetæ autem Conſtantino iſtam omnem laudem tribuunt fide digna veterum monumenta. Citra etiam controverſiam illius auſpiciis & curæ debentur qui etiamnum ſuperant ex Collectaneorum hiſtoricorum Titulis quinquaginta tribus, aut Libris ſex ſupra centum, Tituli duo, alter de Legationibus, alter de Virtute & Vitio; quorum illum Fulvius Vrſinus & David Hœſchelius, hunc Nicolao Peireſcio curante Henricus Valeſius, in lucem ex ſitu & tenebris protraxerunt. Id quod ſimulac innotuit, paſſim ab eruditis Porphyrogenetæ illi Imperatori unanimi conſenſu opus etiam hoc acceptum eſt relatum. Videtur autem ad hoc Porphyrogenetæ cognomentum alludere illud in Γεωπονικῶν *Proœmio* τὸ τῆς πορφύρας ἀπάνθισμα, *ut in argumento Tituli de Virtute ac Vitio,* τῆς πορφύρας ἀπόγονος. *Quin imò non dubitavit doctiſſimus Valeſius* Ἱππιατρικῶν *libros illos, ex Simone Xenophonte Abſyrto & Hierocle collectos, quorum Latinam verſionem dedit Ioannes*

Ruel-

Ruellius, eidem Cæſari adſcribere: qua in re me habet adſtipu-tatorem. Perinde atq; ego ſuſpicor, illa antiquorum Rhetorum Grammaticorum aliorumque artificum Græcorum in unum digeſta opuſcula quæ ſuperant, hujus Imperatoris juſſu ſic coaluiſſe: cum id ab Conſtantino eſſe præſtitum, diſertè teſtatus ſit γεωπονικῶν præfator. Et hoc quidem fortaſſis jam vacat dubitatione.

Multo major autem mota eſt à viris doctis controverſia de illo, cujus operâ in Geoponicis colligendis Imperator ſit uſus. Et vero Cornarius quidem ab ipſomet Imperatore præſtitam illam operam profeſſus eſt. Qui tamen poſt vixerunt philologi celeberrimi quàmmulti in alias ſententias diſceſſerunt. Vnus enim alterq; Vindanium Anatolium Berytium, plures Caſſianum Baſſum, qui Ioachimo I. F. Camerario in Catalogo Rei Ruſticæ ſcriptorum Baſſianus audit, autorem affirmaverunt. Legi hic merentur quæ Philippus Iacobus Mouſſacus, vir doctus, libro quo Iudicium tulit de ſcriptis Plutarchi pag. 125 *ſcripſit.* Libri Geoponicorum ſuperſtites ex fragmentis & reliquiis veterum auctorum, qui Georgica ſcripſerunt, compacti ſunt. Nec adhuc conſtitutum eſt, quis eorum verus auctor. Nam de Caſſiano Baſſo quod dicunt non eſt verum, licet Hierocles Medicus veterinarius ad eum ſcripſerit. Multò minus quæ de Vindanio Anatolio Berytio; cum referente Photio in Bibliotheca, ſcripſerit hic tantum duodecim de re Georgica libros, viginti autem Geoponicorum le-

guntur vulgo. Deinde ita inſcribitur opus Vindamii: *Οὐνδανίου Ἀνατολίου Βηρυτίου Γεωργικῶν ἐπιτηδευμάτων ἐν τόμοις ιβ.* Præterquam quod certum ſit in Geoponicorum libris Anatolii, Beryti, & Vindanii obſervationes Georgicas inſertas legi. Legitimum illius collectionis Geoponicæ parentem nemo mortalium qui hodie vivunt patefacere poteſt, niſi unicus ille Claudius Salmaſius: quem opus iſtud longe melius & auctius dare poſſe, tam conſtat nobis quã omnibus rempublicam literariam ei multum debere, ac magis imposterum, niſi quid ſiniſtri acciderit, debituram. *Hæc Mouſſacus. Sed Salmaſium de re literariâ præclarè meritum nemo eruditior æquiorq́ negaverit: illum verò de auctore Geoponici operis unicè eſſe audiendum, fortè nec Mouſſacus ipſe affirmaſſet, iis lectis quæ in Solinianis Exercitationibus habentur pag.516:* Caſſianus in Eclogis γεωπονικῶν. *Pag. item 1269 ubi adducta eſſent nonnulla ex Geoponicis Excerptis:* Quæ ipſius Caſſiani ſunt earum eclogarum collectoris, qui eas alicui Conſtantino Porphyrogenetæ dedicavit. *Vltima certè verba liquidò oſtendunt, quo momento iſthæc ſcriberentur, Salmaſio fuiſſe ignotum ipſum Conſtantinum Porphyrogenetam Imperatorem; non tutò igitur ſoli ipſius auctoritati poſſe nos fidere dum Caſſianum auctorem facit. Non dubito tamen, illum Imperatorem Salmaſio τῷ πάνυ aliàs fuiſſe notiſſimum: ſed iſthæc excidiſſe præcipitantiæ culpâ in codice iſthoc admirandæ cæteroquin induſtriæ, ut infinita alia.*

Et

Et vero paſſim alibi ἀνωνύμως Geoponicorum auctores à Salmaſio memorantur: ut videatur dubitaſſe ſaltim de vero auctore. Caſſianum porrò Baſſum Γεωπονικῶν auctorem nequaquam eſſe, recte probavit Mouſſacus. Hierocles enim veterinarius ille medicus ut Caſſiano coævus, ita vetuſtior multò eſt quam Porphyrogeneta: quod nos vel illud unum doceat, quia ex Hieroclis libellis ex parte conſutæ ſunt Eclogæ hippiatricæ imò & Geoponicæ ejusdem Porphyrogenetæ juſſu. Rectè etiam idem Mouſſacus, aliud eſſe Geoponicum hoc opus ab illo Vindanii Photiani, demonſtravit. Id meretur autem aliquam conſiderationem, quod in Geoponicis Vindanius (vel ut ibi ſcribitur, Vindanionius) Anatolius & Berytius ceu tres diverſi ſcriptores fuerint habiti, & excerpta ex ſingulis eorum ſeorſim exhibeantur libro ſecundo, quinto, ſeptimo, decimo, duodecimo, decimo tertio & decimo octavo. In hypotheſi etiam primi ſtatim libri ita legitur: συνείλεκται δ᾽ ἐκ τῶν Φλόρεντίνȣ καὶ Οὐινδανιανίȣ, καὶ Ταραντίνȣ, καὶ Ἀνατολίȣ, καὶ Βηρυτίȣ. Contra autem Photius in Bibliotheca ita loquitur, quaſi tribus illis Vindanii Anatolii & Berytii nominibus auctor unus ſignificetur. Ne quid diſſimulem vero, mihi probabile videtur, erraſſe Photium: nec enim potuiſſe adeò ſæpe in Geoponicis excerptis aberrari. Ut autem de vero Geoponicorum collectore meam quoque ſententiam promam, equidem arbitror illum ignorari perinde atq; Hiſtoricorum & Hippiatricorum aliorumque: meritò autem hoc opus Conſtantino ipſi tribuendum, quo jure ſcilicet

Juſtiniani Imperatoris nomine feruntur libri Corporis Romanarum Legum, etſi & ille in iis congerendis aliorum opera fuerit uſus. Sed & ipſimet Conſtantino ab initio ſtatim conditi operis fuiſſe Geoponica adſcripta, ipſa præfatio oſtendit. Vbi auctor, qui laudatorem non autem nuncupatorem quod alii volunt operis agit, ſcribit: multa pariter ac magna in unum colligens, opus communis utilitatis publicè omnibus propoſuiſti. Etenim mox ubi quis hos tuos commentarios contigerit, &c. *Item:* Omni ſtudio quæ utilia ſunt coacervas. *Idem autem planè factum eſt in encomio Collectionis Hiſtoricæ. Hactenus itaq; omnino aſſentiendum Cornario exiſtimo: quamvis illius Imperatoris nomen ipſe primus præfixerit, & ἀνώνυμος fuerit uterque Græcus manuſcriptus codex, quem ſcilicet in vertendo adhibuit Cornarius & ex quo Braſſicani curâ exhibita eſt Græca editio.*

Cæterùm de hiſce fortaſſe plusquam ſatis. Ab eruditis autem quibusque talium æſtimatoribus ſi non gratias veniam tamen excurſioni noſtræ quamvis longiori certò pollicemur. Vt autem ad præſens noſtrum inſtitutum propius aggrediamur: exhibebimus proximè integrum librum viceſimum Geoponici voluminis. Etſi enim de piſcinis pauca & rudia duntaxat capite primo doceantur, reliqua autem omnia ad ultimum uſque caput ſint ἁλιευτικὰ & à piſcinario noſtro inſtituto diverſa; operæ tamen duximus pretium dare librum integrum, quia ſaltim aliquatenus huc facit, & mole eſt parvus,

inventu

inventu autem longè rariſsimus, non ſcilicet niſi ſemel Græcè ſemel Latine typis excuſus, idq; ante annos plusquam centum triginta. Sunt autem, quantum ipſæ capitum inſcriptiones docent, hujus libri priora ex Florentino, Didymo, & iu quæ tum Democriti nomine ferebantur (falsò tamen, ut in Hermeticis demonſtravimus) reliqua ex Tarentino, omnibus ſequiorum temporum Græcis ſcriptoribus, deſumpta. De quibus verè affirmaveris quod de Vindanii Anatolii Berytii libris judicavit Photius, nonnulla iis contineri utilia, ſimul autem quædam ibi reperiri τερατώδη καὶ ἄπιςα καὶ τῆς ἑλληνικῆς πλάνης ὑπόπλεα. Planè Magica ſanè ſunt, quæ leguntur cap. 18. (quam capitum tamen numerationem Græca editio non agnoſcit) de uſu vocum Iao Sabaoth. Qui abuſus ſacroſancti nominis τετραγραμμάτου etiam in Alexandri Tralliani libris Medicis reperitur; ab impiis Magis, quos in nomine Dei Abraham Iſaac & Iacob miranda præſtitiſſe, etiam Origenes in libris contra Celſum memoravit, ex Dæmonum ſuggeſtione inſtitutus. Damus porrò hunc librum non Græcè quia nullius id foret nunc uſus, ſed Latine: & quidem qualem vertit Cornarius. Etenim ut integros octo ultimos libros Geoponici operis ita hunc etiam vertit Latinè Andreas Lacuna Segobienſis Hiſpanus, utraque lingua excellens: idem quoque acriter animadvertit cum in alias tum in hanc Cornarii interpretationem, nec interdum abs re. In quibus tamen hic à Cornario abiit non viſa ſunt tanti, quare Cornarianam verſionem deſereremus. Sed & in univerſum Lacuna Cor-

 nario

nario iniquum ſeſe præbuit. Quo nomine jam olim Conradus Geſnerus, vir talium peritiſsimus, & candidus judex, cum in Bibliotheca tum aliàs Lacunam graviter perſtrinxit.

Vnum addo & deſino. Nempe Conſtantini Geoponicum opus omne, ut & Columellam, in noſtram quoque Germanicam linguam verſum eſſe à Michaele Hero, Hippiatricas item Eclogas à Gregorio Zechendorfio Ægrano medico: verſionesq; illas ſuperiore ſeculo prodiiſſe.

CONSTANTINI PORPHYROGENETÆ.

DE AGRICVLTVRA.

LIBER XX.

Hæc inſunt in hoc libro, qui vigeſimus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet piſcium nutritionem, & ex diverſis locis in unum congregationem, & de venatione ipſorum, & de compoſitione omnis generis ineſcationum, quæ ad capturam piſcium diverſorum, tum fluviatilium, tum marinorum efficaces exiſtunt.

CAP. I.

De piſcina piſciumque altura. Florentini.

Piſcinæ in mediterraneo loco faciendæ ſunt, in quantum quis vult & poteſt. Piſces verò inferendi, qui aqua potabili paſci ſolent, aut à mari in dulcem aquam ſubire. Qui verò prope mare ad ſtagnum habitant, quodcumque genus piſcium maris pars maximè nutrit, hoc ipſum in piſcinam manu fabricatam injiciunt. Sed & locorum natura reſpicienda eſt, &

eſt, & ſiquidem fuerit paluſtris locus, paluſtres piſces, ſi verò aſper, petroſi appellati immittantur. Pabulum inſuper injicitur tenerrima herba, & minutiſſimi quique piſciculi, & quorundam pinnæ ac inteſtina, ficus etiam molliores conciſæ, & caſeus tener, marinis præſertim & petroſis, ſquillique ac gobij, aut quicquid ejuſmodi fuerit in promptu, panis quoque furfuraceus, & ficus ſiccæ conciſæ. Paluſtres porrò piſces ubique erunt, ſi polyſporon herbam quæ polygono ſimilis eſt, conciſam aquis piſces dentibus injeceris.

CAP. II.

Vt piſces in unum locum congregentur.

PVlegij, thymbræ, origani, ſamſuchi, ſingulorum drach. III: corticis thuris, myrrhæ, ſinopidis, ſingulorum drach. VIII: polentæ vino odorato diſſolutæ minam dimidiam, hepatis porci aſſati drach. XXIV: adipis caprini tantundem: allij tantundem: ſingula ſeorſim tundito, deinde arenam tenuem admiſceto, & horam unam aut alteram in locum antea immittito, retiaque circumdato. Alij delphinium herbam maſculam contuſam & cribratam immittentes, provocant piſces, ut manibus prehendant. Quidam allij minam dimidiam, & ſeſami torrefactæ tantundem, pulegij, origani, thymi, ſamſuchi, thymbræ, ſtaphidis ſylveſtris, ſingulorum drach. XXXII, polentæ minam, alicæ tantundem, corticis thuris drach. XVI, cum terra & furfuribus commiſcent ac injiciunt.

CAP. III.

Vt fluviales piſces capias. Didymi.

ADipis ovilli, ſeſami torrefacti, allij, vini odorati, origani, thymi, ſamſuchi aridi, ſingulorum moderatas portiones tundito, & pane exceptas injicito.

CAP. IV.

Vt piſces omnigeni in unum locum congregentur. Democriti.

BOum, caprarum, ovium, ſuum, ſanguinem & tenuium inteſtinorum ſtercora, thymi, origani, pulegij, thymbræ, ſamſuchi, allij, vini odorati fecis, ſingulorum pares portiones, adipis aut medullæ eorundem animalium quantum ſatis videbitur: omnia ſingulatim & ſimul contumlito, & in maſſas redigito, easque in locos ante horam injicito, retibusque eoſdem cingito.

CAP. V.

Ad omnes piſces.

SAnguinem capræ nigræ, vini odorati fecem, polentæ maſſam, ſimul miſceto, & pulmonem capræ tenuiſſimè conciſum ſimul ſubigito ac utitor. Si verò circum funiculum piſcatorium ſalem adſperſeris, nemo piſcem venabitur.

CAP. VI.

De capiendis piſcibus. Tarentini.

VOlebam tibi vir colendiſſime certius de ipſis explicare: naturam, ut ita dicam, & vitam & initium, & nutritionem, & totius vitæ ipſorum longitudinem, & quæ ſpecies ipſorum marinæ, & quæ fluviales, & quæ paluſtres ſint. Deinde ſingulatim quæ ſquamoſæ, & quæ ſpinoſæ, quæ leves, quæ mollis teſtæ, quæ animal pariant, quæ ova, quæ ſolitariæ exiſtant, quæ inter ſe amicæ, quæ ſe mutuò vorent, & quæ in totum mutuò ſe non contingant. In tantum enim vento ita ferente volebam procedere, ut nihil eorum quæ in mari degunt me clàm eſſet. Verùm de his aliàs tempeſtivè trademus. Nunc verò quum videam quoſdam ad ſingulorum venationem cupidè ferri, magnanimiter itaque huc delatis, tùm communibus, tum proprijs ſingulorum venationibus oſtenſis,

ſtenſis, omnem exſpectationem liberaliter explebo, & re ita poſtulante, inſuper omnia cognoſcenda exhibebo, quæ Æſculapius & Menethus, & Paxamus, & Democritus de his prodiderunt.

Cap. VII.

Ineſcationes piſcium.

INeſcatio mugilum, paſtinacæ, ſcorpiorum, acipenſerum, pagrorum, chalceorum, ſcarorum, glaucorum, mullorum, hamiarum, raphidum, pulchrorum, thynnorum, trachurorum, ſacutorum, melanurorum, cerrorum, capitonum, polypodum, vulpecularum, vocarum, murium, mormyrorum, ſmylorum, ſepiarum, pholidum, locuſtarum, torpedinis, julidum, alabetorum, ſargorum, ſqillorum, characiorum, ſolearum, auratarum, aleantridum, aloſarum, illorum, ſacrorum piſcium, cordylarum, gobiorum, ad lepten gryten marinam, genaridum, dacis, porcorum, muſtelarum, lepidoti, orphi, leucopidis, murenarum, coracinorum, anguillarum, locuſtarum, buccinorum, lamiarum, purpurarum, luporum & ad omnia omni tempore, & adgryten tenuem. Primum omnium autem illicit magnos piſculos velut illos, lacos, pagros, & omnes magnos piſces ſimiliter. Hæc enim ineſcatio ſimul ut ad hamum pervenit, aquamque contingit, parvi piſciculi magnorum piſcium incurſum caventes decedunt. Naturali autem voluptate ineſcationum, parvi piſciculi ex proprijs latebris exeunt, etiam ſi ſtadijs duobus abſint, luduntque ac inter ſe pugnant, naturaliterque ducuntur, & cum voluptate attrahuntur, ut neque reluctentur, neque funiculum piſcatorium avellant aut rumpant.

Cap. IIX.

Compoſitio ineſcationis.

SIluri viroſi drach. IIX, papilionum fulvorum volatilium, aniſi, caſei caprini, ſingulorum drach. IV. opopanacis drach II. ſanguinis porcini drach. IV, galbani drach. IV. Omnia dili-

genter terito, & ſimul mixtis vinum ſincerum auſterum affundito, & collyria inſtar ſuffimentorum formato, atque in umbra ſiccato.

Cap. IX.

Alia compoſitio ad ſolos coracinos ingentes, propter illecebræ excellentiam.

LEntis torrefactæ ſcrupulos IIX, cumini torrefacti drach. I, umbilicorum mugilum crudorum drach. IV, coronopodij herbæ drach. IV, nauthyaliorum amarorum hoc eſt crudorum drach. I, palmæ paſſæ drach. IV, caſtorij drach. I. Omnia trita anethi ſucco ammixto in collyria redigito ac utitor.

Cap. X.

Ad fluviales piſciculos, quo Anus uſus eſt.

SAnguinem vituli & vitulinas carnes valdè conciſas in yas fictile mittito, ac ſinito per dies decem, poſtea pro ineſcatione utitor.

Cap. XI.

Ineſcatio qua piſces in promptu habentur.

POlentam ſubige, & maſſas inde factas ipſis objice.

Cap. XII.

Ad grytem fluviatilem.

FVrfuris ordeacei minas duas, lentis integræ chænicem unam, miſce & garo ſincero ſufficienti macera, & ſeſami chœnicem adde, indeque paululum diſperge, & circum circa objice. Simul enim ut diſperſeris, omnis tenuis gryte adveniet, imò, etiamſi ſtadijs quinque abſit, in unum convenient omnes. Cæterùm magni piſces ab odore diffugient. Sic igitur utaris, & ſucceder.

Cap. XIII.

Ad porcos.

SEſami drach. IV, capitum alliorum drach. II, coturnicis ſalſæ carnis drach. II, opopanacis drach. I. excipe parietum gymnaſiorum ſtrigmentis, & collyrijs inde formatis utitor.

Cap. XIV.

Ad anguillas.

SColopendræ marinæ drach. IIX, ſquillorum fluviatilium drach. IIX, ſeſami drach. I. excipe & utere.

Cap. XV.

Ad mugiles marinos ineſcatio.

FOlij malabathri pilulam unam, piperis grana decem, melanthij grana III. floris junci odorati, allij internæ partis parum quid. Omnia trita miſceto, deinde medullam panis puri in vini Mareotici hemina una madefacito, aridaque eo excipito, unitiſque ineſcato.

Cap. XVI.

Alia eſca mugilum marinorum.

ARietis membrum in ollam crudam mitte, & alia olla impoſita obtura, ut nullibi tranſpirationi ſit locus, & in caminum vitreariam mitte, ut aſſetur à matutino in veſperum, & reperies ipſum molle redditum velut caſeum, ex eo itaque ineſcabis.

Cap. XVII.

Aliud probè faciens, & nihil aliud niſi perfectos mugiles venans.

HEpatis thynni drach. IV, ſquillorum marinorum drach. IIX, ſeſami drach. IV, fabæ freſæ drach. IIX, hamiarum crudarum drach. II. Trita hæc ſapa adſtillata excipe, & collyrijs inde formatis ineſcationis loco utere.

Cap. XIIX.

Ptolatas nomine, obſonij præparatio, quo in unum conveniunt piſces in mari.

ACcipe teſtas ſive patellas marinas III. quæ circa petras naſcuntur . & expreſſa ipſorum carne, in teſtam ipſorum inſcribe ſubſcripta , & è veſtigio videbis piſces in unum congregatos ut admireris. Sunt autem nomina: Iao , ſabaoth. Hoc nomine Ichthyophagi utuntur.

Cap. XIX.

Ad mullos & ſcaros magnos , ut aquas accedant. Hoc propter celeritatem illecebræ nullus parvus piſcis accedit: compoſitio ipſa naturaliter ducit.

PHloeni fluviatilis carnis drach. IIX, lentis integræ torrefactæ drach. IIX, ſquillorum fluvialium drach. IV, malabathri drach. I. trita hæc albumine ovi gallinacei excipe, & collyrijs utere.

Cap. XX.

Ad magnos piſces , omniaque marina , velut glaucos , orphos & quecumque ſunt hujuſmodi.

GAlli teſticuli cum nucibus pineis torrefactis ac tritis committuntur, ita ut ſint teſticulorum drach. IIX, nucum pinearum drach. XVI. teruntur autem in farinæ ſpeciem , fiuntque collyria, quorum eſca piſces illectantur.

Cap. XXI.

Ad murenas.

SIluri fluviatilis drach. XVI. ſeminis rutæ ſylveſtris drach. IIX, adipis vituli drach. IIX, ſeſami drach. XVI. ex tritis collyria facito ac utitor.

Cap. XXII.

Ad polypos & ſepias.

SAlis ammoniaci drach. xvi. butyri caprini drach. iix. terito & collyria liquida facito, eaque ſeminibus aut linteis non fimbriatis illinito. Sic circum depaſcent & non diſcedent. Tu verò celeriter attrahe, & locuſtas ac murices & quæcunque habes in ſcapham mitte.

Cap. XXIII.

Teſtudines & teſtacea ſic ineſcabis.

SAlis ammoniaci drach. iix. cepæ drach. i. adipis vituli drach. vi. ferramenta forma fabarum facito, eaque pharmaco illita admoveto, & ſponte ad odorem progredientur ſeque ipſa tradent.

Cap. XXIV.

Ineſcatio ad omnem piſcem in omni tempore.

NArdi celticæ folia iv. cyperi unum ſmyrnij magnitudinem fabæ Ægyptiæ, cumini quantum tribus digitis prehendi poteſt, ſeminis anethi pugillum, tuſa ac cribrata in harundinem inde. Vſu verò expetente, lumbricum ſive inteſtina terræ ablue, & in vaſculum mitte, & ſoleam de loco humidam in manum exprime, & ex pharmaco quod ſatis eſt ammiſce, & adjectis lumbricis ad maſſam tere, & ineſca.

Cap. XXV.

Ad tenuem gryten, quæ harundinibus capitur.

Squillorum fluviatilium chœnix una, maceratur garo ſincero coracinorum ſalſarum, & ſic condita manet biduo, tertia inde ineſcabis. Operare autem duobus calamis, ſingulo quatuor hamos habente, h beaſque tecum auxiliarium unum, & tantum piſcium capies, ut nemo alius neque hypocha, neque alio retis genere operans, te ſuperet.

Cap. XXVI.

Ineſcationes univerſales.

LEnte cum amylo ſicco trita & admixta utitor.

Cap. XXVII.

Ad omnem piſciculum.

COchlearum carnem citra caudas accipe, & cum ipſa ineſcato, neque magnitudine cochleæ abutaris.

Cap. XXIIX.

De naſſis.

REtrimentum, quod ab expreſſa myrobalano reliquum eſt, ſtercus humanum, panem purum, ſingula ſeorſim terito, indeque hæc tria ſimul miſceto, & in naſſam mittito, utitor & ſuccedet.

Cap. XXIX.

Aliud de naſſis.

INeſcatio velut ſcriptum reperi, Ichtyophagorum qua piſcantur. Cape opercula ſive teſtas & caruncula in petris naſcentes, & cum his venare.

Cap. XXX.

Eſca mugilum marinorum, ſcarorum, mullorum.

SEpiarum teſta cum ſiſymbrio viridi, quod eſt muſcus, & aqua & polline & caſeo bubulo mixta utere.

Cap. XXXI.

Scorpiorum ſolum.

SCobem ligni mori & caunocinaræ, & ſandarachæ drach. IIX. cum crucis braſſicæ quinque, ac frumento committe: ita ut frumentum tenuiter contundatur, & affuſa aqua cum reliquis miſceatur, fiantque maſſæ quibus ineſcabis.

CAP.

Cap. XXXII.

Pagrorum marinorum.

MElanthii decoctum cum locuſtis & lumbricis tere, additoque polline frumenti & affuſa aqua ad mellis ſpiſſitudinem redige & utere.

Cap, XXXIII.

Raphidum ſolum.

VItuli fel cum polenta oleoque & aqua in maſſas redige & ineſca, ex eodem etiam commanſo in aquam inſpue, & accedent ad te.

Cap. XXXIV.

Thynnorum ſolum.

NUces glandes ad cinerem exurito, & cum ſamſucho terito, & cum pane puro aqua madefacto ac caſeo caprino in maſſas cogito, ac utitor.

Cap. XXXV.

Cerrorum.

ALlium tritum cum pane, & caſeo vitulino ac caprino, & polline tritis ſimulque mixtis, in maſſas redige, & locum ineſca.

Cap. XXXVI.

Paſtinacæ marinæ.

HIrundinis fimum cum ſimilagine madefactum ſubigito. Aliud: lactucæ ſemen coquito, affuſoque butyro & ſimilagine ſimul terito.

Cap. XXXVII.

Salparum.

MUſcum viridem ex petra in oleo coquito, eoque ineſcato.

Cap. XXXIIX.

Glaucorum.

AMias & Pulchros itemque Aloſas aſſato, ipſoſque exoſſato, & adjecto muſco, & ordei farina craſſiore, maſſas facito, eiſque ineſcato.

Cap,

Cap. XXXIX.

Trachurorum Melanurorum.

ASininum ſtercus in coriandri ſucco malefacito, & cum ſimilagine maſſas ineſcatrices facito.

Cap. XL.

Mugilum, Capitonum.

PAnem ex polline, & caſeum caprinum, & calcem vivam miſce ſimul, tundeq;, ac marinam aquam affunde, collyriiſq; inde formatis ineſca.

Cap. XLI.

Polypodum.

VOcarim, mormyros, aradas, circumligato, & ineſcato.

Cap. XLII.

Sepiarum ſolum.

FEcem vini ſine aqua cum oleo terito, & ad locum progreſſus in mare mittito, ubi videbitur ſepia atramentum dimiſiſſe: & progredientur in locum in quo apparuit oleum, & ſic ipſas prehende.

Cap. XLIII.

Locuſtarum.

MOrmyrum ad robuſtum quiddam alligato, etiam purpuras numero decem terito, modicoque muſco ammixto, in petram exponito, & ſic prehendes.

Cap. XLIV.

Melanurorum.

HEpar caprinum accipe, eoque hamos tuos ineſca. Si verò aliam quandam prædam in mari reperimus, itemque ad multos alios piſces, ungula caprina aut aſinina pro eſca uteris.

Cap. XLV.

Garorum confectio.

GArum liculmen appellatum ſic fit. Inteſtina piſcium injiciuntur in vas & ſaliuntur. Parvi item piſciculi, maximè

Atheri-

atherinæ, aut exigui mulli, aut mænulæ, aut lycoſtomi, aut quicunque tandem parvi viſi fuerint, omnes ſimiliter ſaliuntur, & in ſole inveterantur frequenterque verſantur. Poſtquam verò per calorem fuerunt inveterati, garum ex ipſis hoc modo tollitur. Cophinus longus imponitur in vas plenum prædictorum piſcium, influitque garum in cophinum, atque ſic per cophinum percolatum, liculmen appellatum garum ſuſcipiunt. Reliquum verò retrimentum alex efficitur. Bithyni porrò ſic præparant. Accipis mœnas, quæ quidem præſtant ſi haberi poſſunt, parvas aut magnas, ſin minus, lycoſtomos, aut lacertos, aut ſcombros, aut etiam alecem, & omnium mixturam: immittiſque hæc ipſa in alveolum panarium, in quo farina ſubigi ſolet, & additis ad modium piſcium ſalis ſextarijs duobus Italicis, permiſces ut cum ſale temperentur, ſiniſque per noctem unam, ac transfers in fictile, quod deopertum ad ſolem exponis ad menſes duos aut tres, & per intervalla virgis agitas, deinde ablatum & coopertum reponis. Quidam etiam vinum vetus adjiciunt, ad modium piſcium ſextarios duos. Deinde ſi velis ſtatim uti garo, hoc eſt non inſolare ipſum ſed coquere, ſic facies. Muriam ſtillatitiam & excolatam accipis ſic approbatam, ut conjectum in ipſam ovum innatet: ſi verò mergatur, nondum ſufficientem ſolem habet. Deinde in muriam piſcem mittis in olla nova, adjectoque origano ad ignem ſufficientem ponis donec coquatur, hoc eſt donec inceperit paulatim abſorberi. Quidam etiam ſapam addunt. Poſtea refrigeratum iterum atque iterum per colum transmittitur, donec purum evadat, quod operto vaſe repones. Præſtantius porrò garum Hæmation appellatum ſic fit. Inteſtina thynni cum branchijs cruoreque ac ſanguine accipiuntur, aſpergiturque ſalis quod ſatis eſt, & in vaſe ſinuntur. Poſt menſes duos fermè vas ipſum perforato, effluetque garum hæmation appellatum.

PETRI CRESCENTIENSIS

DE AGRICULTURA

LIBRI NONI

CAPVT LXXXI.

LIBRI DECIMI

CAP. XXXVII XXXIIX & XXXIX.

LECTORI S. P. D.

H. CONRINGIVS.

COnſtantinus Porphyrogeneta præfuit Imperio Romano Orientali per annos quadraginta novem, usq; in annum Dionyſianæ æræ poſt nongenteſimum ſextum quinquageſimum, coævus Henrico noſtro qui Auceps cognominatus & Ottoni Magno. Ex eo tempore de Rei Ruſticæ aut piſcinariæ ſcientia Græce quidquam eſſe conſcriptum, non videtur. Non ſane eſt memoriæ proditum. Etſi etiam Arabicâ linguâ, per Aſiæ Ægypti Africæ imo & Hiſpaniæ incolas, Philoſophia & Medica ars ut & alia doctrinæ genera, non infeliciter jam à Muhametis Pſeudoprophetarum maximi, & cumprimis Chaliphæ Maimonis ævo, fuerint exculta, eorumque librorum vis magna Latinè jam ſit verſa, non tamen Rei ruſticæ aliquod opus Arabicum vel memorari ſolet: tantum abeſt Latinâ interpretatione cum aliis ad nos perveniſſe. Omnium quoque qui Ruſticam diſciplinam Latinè ſunt proſecuti ultimus videtur eſſe Æmilianus ſive Palladius. Dici enim, memorat quidem Ioachimus I. F. Camerarius, Caſſiodori de Re Ruſtica libros ſedecim in Gallia haberi: ſed falsò id dictum non equidem dubito. Memoravit enim illud Camerarius jam tum ſuperioris ſeculi Chriſtiani anno ſeptuageſimo ſeptimo: nec tamen hactenus quisquam Galliæ eruditorum (quorum utique numerus ibi ſemper fuit florentiſſimus) Caſſiodoriani ejusmodi operis meminit. Cum

& Caſſiodorus ſuis monachis utiles quosq; libros ſuos diligenter commendaret, Æmilianum tamen ultimum Rei ruſticæ ſtudio laudavit, ſui operis nihil. Porro jam tum circiter nonagenarius ſenex & divinis unicè intentus indubiè Ruſticam diſciplinam tot libris non excoluit. Abs re etiam in hujus doctrinæ diſciplinam ſolet à nonnullis Iſidorus Hiſpalenſis prædicari. Nec enim ille vel verbulo tale quidquam docuit, in ſuperſtitibus certè voluminibus. Niſi referre huc velis, quæ habentur libro ſeptimodecimo, aut libri decimi noni caput V de Retibus, vel etiam integrum librum duodecimum qui eſt de animalibus, operis Etymologici. Immeritò autem huc referres, quia omnia illa merè ſunt Grammatica: quod ipſemet Iſidorus, qua fuit morum ſanctitate, ingenue eſt confeſſus ipſo voluminis cognomento. Sed & quàm parum vir cæteroquin magnæ induſtriæ & ſupra ævi ſui indolem doctus, in Rei Ruſticæ ſcriptoribus fuerit verſatus, vel hæc quæ leguntur l. 16. cap. 1 indicant. Apud Romanos de agricultura primus Cato inſtituit: quam deinde Marcus Terentius expolivit; mox Virgilius laude carminum extulit. Nec minus ſtudium habuerunt poſtmodum Cornelius Celſus & Iulius Acticus Æmilianus ſive Columella, inſignis orator, qui totum corpus ejuſdem diſciplinæ complexus eſt. *Longe autem rectiora nos docet Columella l. 1. cap. 1.* Vt agricolationem Romana tandem civitate donemus, jam nunc M. Catonem Cenſorium illum memoremus, qui eam Latine loqui primus inſtituit.

ſtituit. Poſt hunc duos Saſernas, patrem & filium, qui eam diligentius erudierunt; ac deinde Scrofam Tremillium, qui eam eloquentem reddidit: & M. Terentium qui expolivit: mox Virgilium qui carmine quoque potentem fecit. Nec poſtremo quaſi pædagogi ejus meminiſſe dedignetur, Julii Higinii. Non minorem tamen laudem meruerunt noſtrorum temporum viri Cornelius Celſus & Julius Atticus. Quippe Cornelius totum corpus diſciplinæ quinque libris complexus eſt: hic de una ſpecie culturæ, pertinentis ad vites, ſingularem librum edidit. Cujus velut diſcipulus duo volumina ſimilium præceptorum de vineis Julius Græcinus compoſita, facetius & eruditius poſteritati tradenda curavit. *Hæc omnia Columella. Poſt Catonem itaque non primus M. Terentius ruſticam diſciplinam docuit: nec Iulius Atticus idem eſt cum Columella. Æmiliani autem nomen Palladio convenire, qui aliquot demum poſt ſeculis vixit, jam tum memoravimus.*

Quemadmodum autem Iſidorus neutiquam meretur inter Ruſticæ rei doctores prædicari: ita nec alius quisquam ad Petrum usq; Creſcentienſem. Nec enim vel Albertus Magnus, qui vaſtum ingenium pene ad omnes ſcientias circumtulit, rem hanc tetigit, etſi de Animalibus etiam adeoq; & piſcibus non contemnenda primus docuerit.

Cæterum Petrus hic Creſcentiâ Italiæ oppido natus, indeq; cognomentum de Creſcentiis ſive Creſcentienſis indeptus,

 floruit

floruit circa annum octogeſimum ſeculi quartidecimi. Falli enim, qui in quintidecimi ſeculi annum decimum operis Ruſtici ſcriptionem coniiciunt, liquet vel uno illo, quod Caroli Siciliæ Regis juſſu jam ſeptuagenario major ſcripſerit opus: Rex autem ille deceſſerit anno 1385, *ceu quidem habet Bonfinius. Vir verò fuit Creſcentienſis ut dignitate Illuſtris, ita eruditione ſic ſatis eximius.* Etenim, *ut ipſe ſcribit*, tempus adoleſcentiæ in Logica Medicina & Scientia Naturali totum conſumpſit, & demum nobili Legum Scientiæ inſudavit. *Inſignem ſanè eruditionem viri luculenter demonſtrat volumen quod duodecim libris condidit de Agriculturâ, eâ ubertate, eâ peritiâ omnis illius diſciplinæ, imo & quod ævi illius captum reſpiciens meritò mireris, ea ſermonis Latini non vulgari promptitudine, ut cum antiquitate non comparari tantum, ſed uno minor Columellâ exiſtimari mereatur. De iſthoc opere in hæc verba ſcripſit in Autorum Rei ruſticæ Catalogo Camerarius:* Petri Creſcentii Bononienſis de Agricultura libri XII ſæpius impreſſi. Autographum dedicatum ab autore Matthiæ Regi, audio penes ſe habere in ſua inſtructiſſima Bibliothecâ clariſſimum virum Joannem Sambucum. *In eodem opuſculo agens de Rei ruſticæ ſcriptoribus Latinis nondum impreſſis:* Petri, *inquit*, Creſcentii Senatoris Bononienſis de Commodis ruralibus reperitur in Bibliotheca Ducis Vrbini. *Dubito autem an non fama incerta Camerarium deceperit. Poſterioris ſane operis nullam*

Petrus

Petrus ipſe fecit mentionem, etſi prius jam plusquam ſeptuagenarius conſcripſerit. Nec veroſimile eſt ea ætate novum quid de Ruralibus commodis à ſene elaboratum. Imo videtur eſſe non aliud à priore: quippe cui in antiquiſſima editione titulus eſt: Petri de Creſcentiis civis Bononienſis in commodum ruralium libri duodecim. *Opus porrò de Agricultura non Matthiæ Vngariæ ſed Carolo Siciliæ ſive Neapolitano Regi eſſe dedicatum, imo hujus rogatu conſcriptum, diſerte teſtatur epiſtola dedicatoria Baſilienſi editioni anni 1538 præfixa: quam aliæ quædam editiones non exhibent. Nec tamen negaverimus, autographum perveniſſe in Matthiæ Regis, quem ob ſtudium condendæ Bibliothecæ jure dixeris ævi ſui Philadelphum, poſſeſſionem: quia Carolus (ille enim non poteſt eſſe alius quam is quem Dyrrachinum nonnulli Parvum cognominant) paucis annis rerum potitus, in Vngaria crudeli manu trucidatus eſt, hæredibus impuberibus relictis, in ſumma Regni & Neapolitani & Vngariæ rerum perturbatione, donec tandem Matthias Hunniades vel Corvinus dictus Vngariæ Regno præfectus eſt. Cui proinde facile fuit, ut libros alios undique ex Italia cumprimis conquirere, ita & hoc opus ſibi comparare. Perinde atque per Turcam direpta inclutâ illa & ditiſſimâ Bibliotheca, cum aliis hic quoq; codex facilè potuit Sambuco rei librariæ cupidiſſimo obtingere. Erravit autem Camerarius & in ipſo viri nomine: non enim Creſcentius, ſed de Creſcentiis aut Creſcentienſis à natali opido appellatus eſt. Tanto autem in pretio habitum fuit hoc opus, ut &*

ut & in Germanicam & in Italicam linguam ſit verſum. Aliquamdiu tamen cum aliis Ruſticæ rei ſcriptoribus optimis à vulgo eruditorum fuit neglectum, & jam pridem nova editione nulla repetitum manibus pene excidit. Nos nihil ejus nunc producimus, præter pauca capita, ex libro nono ac decimo excerpta, quibus agitur de piſcinis & piſcationibus: quoniam illa ſola noſtro inſtituto nonnihil inſerviunt. Etſi autem longè ſint omnia infra Dubravii operam, indubiè tamen vel hæc lecta excitabunt in Rei ruſticæ ſtudioſis deſiderium totius operis.

PETRI CRESCENTIENSIS DE AGRICVLTVRA

LIBRI NONI

CAPVT LXXXI.

De piſcinis & piſcibus includendis.

QVi piſcinas habere deſiderat, primum eligere oportet locum convenientem, qui nullo tempore aqua careat, non enim aliis poſſunt durare locis. Sed piſcinarum quædam ſunt parvæ, quædam magnæ, quædam mediocres: & iterum quædam ſunt fontaneæ, quædam ſtagneæ, quædam marinæ, & quædam etiam fluviales. Si parvæ ſunt muniantur ſeptis, ex lignis vel viminibus aut lapidibus conſtructis: ne lodria vel aliud animal nocens intrare poſſit. Et vimina aut vites ſuper eam tendantur, quibus aves terreantur rapaces. In eiſque ponantur piſces illi aquæ convenientes, ex his qui inveniuntur in partibus illis; Nam quidam libentius ſtant in fontium vel fluviorum aquis, alii in ſtagnis & lacu-

& lacubus, nonnulli delectantur marina. Sit autem parva piſcina, profunda in quantum à foſſoribus profundari poſſit; ſed in magnis piſcinis commodè ſtare poſſunt. Quod ſi marina fuerit aqua de mari educta, omnia genera marinorum piſcium naturà parvorum poſſunt in ea ſervari. Si piſcinam magnam volueris habere, oportet ipſam fieri ex magno lacu vel ſtagno, in quo ſunt aquę plurimæ congregatæ, ex nive ac pluvijs aut fontibus, vel in eam flumen fluente, vel etiam ex aqua marina, quod in pluribus evenit locis. Quod ſi ex ipſo lacu vel ſtagno aqua per aliquam partem exeat, ibi claudatur taliter, quod impediantur piſcium exitus & non aquæ. Quod ſi ex aqua dulci conſiſtat, poterunt in ea poni ac ſervari omnia genera piſcium, tàm magnorum quàm parvorum, in talibus aquis viventium. Sunt & aliqui marini piſces qui ad aquam dulcem accedentes delectantur in ea: & tales ſimiliter poterunt in dulci piſcina ſervari. Si verò fuerint ex aqua marina, in ea ponantur omnia genera piſcium marinorum, ſi ſit valdè profunda; niſi ſit piſcis maximus, ut balena quæ nullo loco niſi maris pelago claudi poteſt. Si verò mediocris magnitudinis ſit piſcina, ex his quæ dicta ſunt facilè poteſt haberi doctrina, quales piſces poſſint in ea includi. Piſcinæ utilitas magna; quia ex paucis piſcibus incluſis brevi tempore habentur plures; ex quibus plures vendi poſſunt, & plures ad eſcam haberi.

Libri Decimi.

Cap. XXXVII.

De capiendis piſcibus, & primò qualiter retibus capiuntur.

IN mari juxta planum littus capiuntur præcipuè multi piſces cum reti, quod multi ſcorticariam vocant. Hoc rete eſt valdè longum & ſatis amplum & ſpiſſum, cordam unius lateris plumbatam & alteram libratam habens; ut in aquis rectum & extenſum permaneat. Hoc rete cum navicula in mare defertur: uno capite in terra relicto, ut aliqua particula ejus continuo deſcendat in

aquam cum nautæ fuerint intra mare quantum rete extenditur arcu. Aliter cum illo capite revertuntur ad littus: & quibuſdam ex eis cum illo capite in terram deſcendentibus, unus in navicula revertitur extra rete ad medium ejus, ad hoc ut piſces intra rete comprehenſi videntes ſe ad terram trahi non proſiliant extra rete. Duo autem piſcatores ab utroque capite in terra exiſtentes trahunt cum piſcibus totum rete ad littus. Qui ſæpè multos trahunt parvos & magnos, plerunque paucos, ac etiam nullos, quia in eo loco non erant. Item capiuntur in mari cum quodam rete ſubtili non multum magno duabus perticis alligato: quod quidam in navicula exiſtentes apertum in aquam demergunt, & poſt paululum cum piſcibus elevant. Item capiuntur in fluminibus & cæteris ſpacioſis locis cum rete, quod transverſarium multi vocant: quod eſt ex tribus compoſitum, ſcilicet uno medio ſpiſſo, & duobus extrinſecis raris, habens in uno latere plumbum, in alio lenas, & ſi valdè longum ſit quaſdam cucurbitas ſiccas, ut extenſum in aqua permaneat. Hoc retè fit longum vel breve, ſecundum quod loci aquæ latitudo requirit. Hoc in aquam per magnam oram dimittitur, ut in illud rete natantes incidant piſces qui rara retia tranſeunt, & involvuntur in ſpiſſo; ut aviculæ in aranea, ſupradicta cùm de capiendis avibus dicebatur. Item capiuntur in rivalibus parvis aquis. Eſt autem rivale rete parvum & ſpiſſum, duobus annexum baculis quos piſcator manibus tenet apertum, & per aquam ducit, atque prope ripam cum piſcibus claudit. Item capiuntur Zaclo. Eſt autem ſubtile ſpiſſum, habens tentorij formam in circuitu plumbatum & revolutum, habens in cacumine longum funem. Hoc rete piſcator ſuper ſiniſtrum brachium clauſum tenet, atque in aquam apertum ejicit. Hoc apertum ſubitò ad fundum deſcendit, & omnes piſces intra ſe inventos concludit, eosque cùm trahitur ſecum trahit. Item capiuntur cum negoſſa. Quæ eſt rete ad modum rivalis formatum, ad unam perticam cum duobus baculis adminiculantibus à parte annexum. Hoc

rete

rete piſcator extra aquam exiſtens in eam, præcipuè ubi quieſcit, immmittit, & cum piſcibus elevat, plerumque etiam ſine piſcibus. Et quandoque circa herbas & frutices prope terram immittit, & cum pertica percutiens herbam piſces occultatos in rete expellit. Item capiuntur plurimi in locis anguſtis valliumque, cum rete quod gogolaciam vocant: quod eſt rete magnum forte ac ſpiſſum & longum, habens introitum rotundum & latum, & paulatim anguſtatur uſque ad caudam, quæ longa eſt habens multa receptacula, in quæ facile intrant piſces & nuſquam redire queunt. Hoc rete ponitur cum duabus perticis groſſis in dicto loco anguſto, circa quod eſt undique ligatum uſque ad ripam forti clauſura: cui decem perticæ annectuntur. Hoc rete ſemper die noctuque tenetur ibidem, introitu ad partem ſuperiorem verſo. Per hunc locum nullus omninò piſcis deſurſum veniens tranſire poteſt, cùm nullus ſit locus ibi aptus. Deſcendunt enim piſces in aperto retis ore, deinde in caudam ſtrictam. Piſcator verò aliquantis diebus interpoſitis ad locum accedens, caudam retis in naviculam trahit & aperit. Evenitque aliquando tot piſces capi, præcipuè anguillas quæ conglobatæ ſunt cum amore ferveſcunt, vel ſcordinias quæ gregatim incedunt, quod navicula tenere non poteſt. Cætera etiam genera piſcium in talibus aquis morantium capiuntur in eo, ſed non in ſimili quantitate. Item capiuntur in vallibus multi piſces in locis apertis & profundis, in quibus præcipuè magni morantur piſces, cum reti quod degagum vocant: quod magnum & latum in profundum ejicitur, & per eum trahitur & cum piſcibus elevatur. Item capiuntur in vallibus non profundis ſed latitudinem magnam habentibus multi piſces generum diverſorum, qui in talibus aquis morantur, hoc modo. Habent piſcatores gradellas ferè infinitas de paludoſis cannis inſtructas, maxima vallium non profundarum ſpatia palorum auxilio claudentes, relictis parvulis aperturis in pluribus locis, ad quas ponunt retia parva rotunda, in capite ampla & cauda cum rece-

ptaculis ſuis auguſta, & quæ poſſunt piſces intrare, ſed non exire posſunt. Hæc retia ſemper die noctuque ibi relinquunt, & quaſi omni die ferè manè elevant cum piſcibus, qui per loca ſpacioſa natantes tranſire poſſe per dicta vacua ſperabant. Fiunt etiam ex his craticulis aliquæ taliter involutæ, quod piſces intrantes exire neſciant, ſed inde extrahuntur cum quodam parvulo reti poſito in capite unius perticæ bifurcatæ.

Cap. XXXIIX.

Qualiter piſces capiuntur ciſtis & ancijs ex viminibus factis.

PIſces capiuntur ciſtis ex viminibus factis, quæ in capite ſunt amplæ mediocriter & in cauda ſtrictæ: quæ à piſcatoribus in aqua ſtantibus in profundum ducuntur ad modum ripalium retiorum. Et quandoque tales ciſtæ ſed leviores ponuntur in capitibus perticarum, & per aquam turbidam ducuntur à piſcatore in terra ſtante, ut ſupra de negoſſis narratum eſt. Item ex juncis fiunt faſcæ rotundæ & latæ, cum introitu interius ſtricto & extra amplo: quæ die noctuque cum pondere unius lapidis dimittuntur in fundo aquæ, habentque vitem aliquam in cauda ligatam qua extrahuntur. Sed duarum formarum fiunt. Vna forma eſt, quod ſit interius multùm ampla rotunda, in cujus fundo ponitur creta mollis & grana ei annexa: atque intrant quædam genera piſcium cauſa cibi, & exinde exire neſciunt. Alia forma eſt tota ſtricta & longa, ſed in introitu mediocriter aperta, & in medio valde ſtricta, deinde lata, & in cauda ſtrictiſſima: in quam intrant non cauſa cibi, ſed ut ibi occultè morentur: nec de ipſa ſicut nec de prima exire ſciunt.

Cap. XXXIX.

Qualiter piſces capiuntur hamo, ſpadernis, calce, & foſſinis.

HAmo capiuntur piſces tribus modis. Vno modo, cùm in eo ponitur piſciculus vivus, cum quo piſces capiuntur rapaces deglu-

deglutientes hamum cum piſciculo vivo. Hic hamus requiritur ex ære magnus & fortis, cum forti cordula filo involuta prope ipſum. Ne rodi poſſit cordula cuidam parvo paneriatum faſciculo anne-ctitur, & in aquam ſtantem cum hamo & piſciculo vivo ejicitur, ibique tota nocte relinquitur. Piſcis captus longè fugere vel ſe occultare faſciculo impeditur: ſicque manè à piſcatoribus invenitur. Secundo modo hamus cuidam funiculo ex pilis albis equinæ caudæ annectitur, & circa ipſum cibus qui à piſcibus magis appetitur involvitur, ut non videatur hamus: deinde in aquam projicitur, ut notum eſt omnibus, Sed in hoc adhibenda eſt quædam cautela: videlicet quod piſcator ſciat qualem eſcam quodlibet genus piſcis avidiùs appetit, quolibet tempore anni. Nam idem genus piſcium ſecundùm varietatem temporum anni diverſa cibaria quærit. Sed hoc ſcire poteſt qui captorum viſcera ſcindit, & inſpicit qualem eſcam communiter aſſequuntur. Vel ſi diverſas eſcas, modò unam modò alteram in anno ponit. Item valet contra piſces cautos, qui eſcam appenſam funiculo accipere nolunt, niſi habet virgam & funiculum abſque hamo. Cum qua plerumque eſcam in aquam emittat, ad quam aliqui minus cauti accedunt, eamque ſine periculo exportabūt; quod cùm pluries fecerint hamum ejiciat, ad quem omnes etiam cauti & ſecurè accedent. Tertius modus ſervatur in aquis profundis: nam piſcatoris manu ejicitur hamus alligatus longo funiculo habenti modicum plumbum per unum brachium prope hamum, ut deſcendat ad fundum, ibiq; teneatur præcipuè incurrentibus aquis. Talis funiculus manu teneatur, digito indice appodiatus ab eo qui ſit in navi vel ponte. Cùm ſentiet piſcem capere hamum fortiter trahat, primò ut in ejus infigatur ore; deinde paulatim trahatur, donec ipſum piſcem manu capiat: qui rariſſimè parvus erit, cùm ſoli magni morentur in fundo, licet aliquando diſcurrant per partem mediam vel ſupremam.

Cum ſpadernis capiuntur præcipuè tineæ. Sunt autem tres acus ex ære retortæ ac ſimul ligatæ, quæ quibuſdam brevibus funiculis annectuntur, ac ipſi omnes non multum diſtantes, cuidam funiculo longo: his apponitur caudarum cancrorum vel lumbricorum groſſorum eſca, & in aqua ſerò extenſo jactantur, & manè captæ tineæ tolluntur.

Calce viva capiuntur piſces, ſi ipſa ponatur in ſacco; & in aqua, maximè ſtante, in parvo loco incluſa, hic ſaccus à duobus per totam aquam fortiter agitetur. Ex hoc omnes piſces quaſi cœci venient in ſuperficiem aquæ, ac manibus facilè capientur.

Item capiuntur groſſi piſces foſſinis, in aquis dyaphanis. Eſt autem foſſina ferreum inſtrumentum habens multas acuitates; quarum quælibet habet barbulam ad tenendum, & ſunt aliquantulum diſtantes abinvicem. Quod piſcator habet in capite haſtæ lanceæ, vaditque cum eo quietè in navi per aquas; & cùm piſcem videt, eum fortiter ferit, & infixum tenet. Idem faceret exiſtens in terra & in aqua turbida, ſi piſcem videret.

CON-

CONRADI HERESBACHII
LIBRI QVARTI
DE RE RVSTICA
Pars quæ agit
DE PISCINIS ET PI-SCIVM VIVARIIS.
Ejuſdem
THEREVTICES
PARS TERTIA
DE PISCATIONE.

HERM. CONRINGIVS.

Lectori S. P.

POſt Petrum Creſcentienſem nemo, quod equidem ſciam, Italorum Ruſticam ſcientiam Latinè eſt perſecutus, præter I. Baptiſt. Portam. Et verò ut fuit Neapolitanus ille ad alias vitæ civili utiles artes excolendas docendasq; inſigni induſtria, ita in illo opere cui Villæ vocabulum indidit plæraq; agricolationis negocia prolixe pertractavit. Veterum tamen præceptis, quantum apparet, inſtructus magis quàm novis vel propriis experimentis. Ad noſtrum porrò inſtitutum nihil adjumenti attulit: eoque illius liber jam quidem eſt ſeponendus. Nec Hiſpanorum præterea, nec Britannorum, nec Septentrionalium gentium aliarum quisquam, tanto in eruditorum numero, rectam ruſticandi artem Latine fecit loqui, poſt renatas linguæ illius literas. Gallos inter unicus Carolus Stephanus cùm aliis libellis aliquot tùm eo cui Prædii Ruſtici titulum dedit argumentum hoc attigit. At ſtudium magis viri laudem meretur quàm docendi felicitas: utpote qui non niſi pauca, nec proprio inſtructus uſu, exſecutus ſit. Etſi opus quod illius & Ioannis Libautii nomine de Ruſtica re Gallice conſcriptum eſt, dignum ſit quod in primis collocetur. Habentur autem in illo volumine de re quoque piſcinaria & piſcatione eximia; quæ proinde omnino à nobis etiam huc adferrentur, niſi intra Latinos ſcriptores continere hunc libellum eſſet conſtitutum.

Germania noſtra non unum dedit quidem agricolationis verna-

vernaculum doctorem, interq́ eos magnitudine operis & varietate in univerſum omnibus forte palmam præripuit Colerus, attamen hactenus unicum protulit Conradum Heresbachium Ruſticæ rei omnis Latinum magiſtrum. Is vero etiam talis eſt, cui ſecundus poſt Columellam locus jure merito in hoc doctorum ſubſellio eſt tribuendus. Vtq́ adeo haud injuria poſſit Germania tanto ſcriptore ſuperbire: præſertim cum doceat quammulta veteribus indicta, & noſtræ ætati noſtriſq́ terris longè aptiſſima. Eiuſmodi ſane ſunt quæ hîc nunc exhibemus de piſcium cum vivariis tum venatione: nec enim in veterum ſcriptorum quoquam inveniuntur. Quum præter illum autem nemo alius Latine hoc argumentum pertractaverit, cogimur illis excerptis agmen hoc piſcinarium claudere. Quibus tamen princeps hiſtoricorum noſtri ævi Illuſtris Thuanus, in hiſtoria anni ſeculi ſuperioris poſt ſeptuageſimum ſexti, libro ſexageſimo ſecundo, memoriam defuncti Heresbachii noſtri celebravit, ſubjungemus. Conradus Heresbachius, vir dignitate & doctrina præſtans, in majorum ſuorum Heresbachiano caſtro in Clivenſi ditione natus, hoc anno in ſuo Lorinſulano prid. Id. Octobris ad Deum migravit, cum ſexageſimum ſeptimum annum exegiſſet. Commentarium in Pſalmos eruditiſſimum edidit, & de Re Ruſtica in illo otio poſt alios ſcripſit, nonminus morum ſuavitate de ſuis, quàm eruditione de republicâ bene meritus. *Quæ reliqua de vitâ ejus Ioannes Sturmius, Melchior Adamius aliique narraverunt, non addo, quoniam ab inſtituto ſunt aliena & facilè poſſunt accipi.*

CONRADVS HERESBACHIVS DE RE RVSTICA

Libro Qvarto.

OPortunè dum aquatilium mentio facta animalium, ad piſcinarum piſciumque educandorum curam pervenimus. Etſi enim de piſcibus alendis capiendiſque alio in hoc deſtinato loco, nempe in halieuticis diſſerendum erit: tamen cùm villæ plerunque propter aquarum neceſſitatem animalibuſque adaquandis lacus piſcinas aut ſtagna poſtulant, & ſitus aliquoties loci anguſtiaque ſeminarium agrum non concedit, licebit è piſcinis, ſtagnis, vivarijsque villaticum quæſtum homini ruſtico non aſpernandum facere. Romani proceres piſcinas in villis magnis impenſis, & nonnunquam voluptatem magno facultatum diſpendio inſtituerunt: ut de Hortenſij Hircij ac Luculli piſcinis ſumptuoſis ſcribit Varro. M. Cato cùm Luculli tutelam ſuſcepiſſet grandi ære ſeſtertium millium quadringentorum piſcinas pupilli ſui vendidiſſe traditur. Commemorat idem Varro piſcinarum duo genera, dulcium & ſalſarum: alterum apud plebem & ſine fructu, ubi lymphæ piſcinis villaticis aquas miniſtrant: alterum maritimarum, ubi Neptunus ſimul & aquam & piſces ſuppeditat. Exempla declarant; Hortenſij piſcinas magno ſumptu inſtructas ad Baulos oculos magis quàm marſupium aluiſſe.

Optimum autem piſcinarum vivariorumque ſitum cenſent, qui Vel è mari, ut Luculli, qui ut maritimam aquam reciprocè fluentem immitteret in piſcinas montem perfodit, eaque opera Neptuno in piſcatu non cedere ſe exiſtimabat: Vel qui è fluvio rivulove aliquo ſubinde & aquam & piſces recipere poſſit, quique vel inundatione vel cataractis emiſſam veterem undam non ſinat intra conſeptum ſemper computreſcere aut incaleſcere, ſed identidem & aquas renovet, & piſcium nova ſeminaria ad-

ducat

ducat. Proximæ bonitatis ſunt, quæ venis latentibus implentur atque effluunt, vel deductis elicibus ac ſyphonibus lapideis aut ligneis alveis aquam exonerant. In hoc enim & tubi aquarij aggeribus incluſi parantur, ut aquam quoties licet retinere atque tranſmittere, ac per incilia parata quoque irrigare liceat. Quales apud Vſipetes, Tenchteros, Bructeros, & alijs pluribus locis magno fructu fieri videmus. Idcirco vivaria, ut vocant, ad aquam retinendam diſpenſandamque, aggeribus, molibus, ac chomatis includuntur; ut objectu crepidinum aquarum exundantium atrocitas invaleſcens reprimatur. Poſtremus piſcinarum uſus eſt, paludum vel ſtagnorum, & earum, quæ ex pluvia collectitiaque ſtagnat aqua. Hæ piſcinæ etſi deteriores propter perpetuam turbidam atque putridam plærunque aquam: tamen ubi non datur aliarum uſus, hic minimè negligendus. Nam etſi hæ piſcinæ alendis piſcibus non ita ſunt idoneæ, poſſunt tamen ad hanc rem quoque alicubi utilitatem aliquam præbere. Imprimis autem neceſſariæ ad villæ commoditates, nimirum jumentis pecoribuſque aquandis, anſeribus anatibuſque & aquatilibus alendis, ad lavandum, alioſque neceſſarios uſus. Quod ſi occaſio detur, juxta mare aut flumen, ſemper influente ſinu, ſic fiant: ut claudi, vel cataractis vel alijs obicibus aqua, ſi opus ſit, emitti, & piſces incluſi retineri poſſint, ut de alijs piſcinis diximus: & ſi quando cataractæ aut tubi emittendis aquis aperiuntur, ut ad os tubi cancelli ſint ſupra aquam eminentes, qui fugam piſcium impediant. Aditum ſi loci natura patitur, omni lateri piſcinæ dari convenit: facilius enim vetus ſubmovetur unda, cùm quacumque parte urget fluctus per adverſam pateat exitus. Hos autem meatus fieri oportet per imam conſepti partem, ſi loci ſitus patiatur, ut in ſolo piſcinæ poſita libella ſeptem pedibus ſublimius eſſe maris æquor aut flumen oſtendat. Nam piſcibus ſtagni hæc in altitudinem gurgitis menſura abundè ſatis eſſe exiſtimat Columella. Attamen dubium non eſt,

quin quantò magis imo mari venit unda, tanto ſit frigidior, quòd eſt aptiſſimum piſcibus. Sin autem locus, ubi vivarium conſtituere volumus, pari libra cum maris æquore aut fluvio ſit, in pedes novem defodienda piſcina, & infra duos à ſumma parte cuniculis rivi deducantur, curandumque ut quam largiſſimè veniant. Quoniam modus ille aquæ jacentis infra libram maris non aliter exprimitur, quàm ſi major recentis facti vis inceſſerit. Piſcina autem in ea parte littoris, quæ profluo receſſu nunquam deſtituitur, ſatis eſt ſi in duos pedes deprimatur. Piſcinarum vivariorumq; crepidines, ſi ſic ferat locus, conſitas dumetis ſtirpibuſque eſſe convenit: aut ſpecus latebræque fabricandæ; aut ripæ excavandæ fuerint, ut ſint receptacula refugientium ſolis ardorem. Præbent etiam excavatarum arborum trunci & radices terræ exeſæ gratiſſima piſcibus latibula. Si laxitas permittat, è littore ſcopulos, qui herbis & alga veſtiantur, non eſſet alienum per ſtagni ſpatia diſponere; & quaſi faciem quandam maris repræſentare, ut piſces clauſi quàm minimè cuſtodiam ſentiant. In Morinis, ſicut & alijs pluribus locis, è ſtagnantibus aquis & pluvia collectis, in ſolitudinibus & myricarum campis vivaria piſcium reperiuntur ampliſſima. Plurimis locis in Germania inferiore vivaria piſcium, quæ influentes rivos habent, quorum aquas excludere poſſunt, ſic conſtituunt; ut vel cincta vel interſecta ſint foſſis profundioribus, quibus piſces æſtivo tempore contineantur, & ſolum reliquum quod eſt inter foſſas, obturato rivi aditu, & aqua influente cataractis aut tubis excluſa, frumentis æſtivis conſeratur, quod ſolum à meſſe rurſum cataractis apertis aqua repleatur. Hac ratione ſolum inundationis limo lætificatum fertile redditur, hordeo æſtivisq; frumentis ferendis.

Porrò uti in terreno præcipit Poëta, ſic & in aquatili negotio, *Non omnis fert omnia tellus*: ſed conſiderandum accuratè, quid quæque ferat regio, quidque recuſet. Romani in vivarijs murenas, oſtrea, lupos, mugiles, auratas, fluas, & ſaxatiles,

xatiles, atque id genus piſcium, qui dulcibus aquis gaudent, alere conſueverunt. Nam qui ſalſis marinisque aſſueverunt non ita piſcinarum clauſtris conſtringi ſe patiuntur; poſſunt tamen ea genera vivarijs ſtagniſque arenoſi littoris contineri. Oſtrearum vivaria Sergium Oratam inveniſſe in Bajano, ætate L. Craſci Oratoris ante Marſicum bellum, nec tàm gulæ cauſa quàm quæſtus, ut magna vectigalia tali ex ingenio ſuo perciperet; cochleas vivarijs aluiſſe Fulvius Hirpinus proditur.

Porrò alij alijs locis piſces gaudent. Lupi piſces in Tiberi amne inter duos pontes meliores, rombos Ravennæ, murenas in Sicilia, elopen Rhodi, ferunt: ita fluvij, paludes, ſtagna & maria diverſis locis alios melius alunt piſces. Quare, ut ad vivaria, unde digreſſi, revertamur: & his non omnibus locis omnes piſces convenire, rerum experientia docemur. Siquidem ſunt Saxatiles, qui ſaxoſis arenoſisque locis delectantur: quales ſunt apud nos funduli, capitones; varij quos in Italia Carpiones appellant, gobij, percæ, muſtellæ, cancri, barbati, mugiles. Alij meliùs proveniunt cœnoſis paludinoſiſque, limo luteſcere gaudentes: quales ſunt anguillæ, tineæ, meruli, βέρβοροι quos noſtri carpos vocant; praſini: primada & daſquillus, cœno ſe abdunt ſicut anguillæ. Alij utriſque, ut ſunt lucius, lupus, perca, carpi, preſſus vel praſius, & blechus, item mona vel mullus, thymalus. Putantur ſaxatiles, maximè funduli, procreari fimo ovillo cratibus tecto, inque rivum profluentem miſſo, maximè loco petricoſo aut ſalebroſo. Lupus quem broſchetum vocant, Græci labracem, citò adoleſcit: ſicut & carpus intra triennium in juſtam magnitudinem excreſcit. Quare in vivarijs, quæ neque mari neque fluvio replentur, triennio aut quadriennio, veteribus captis piſcibus ſeminaria ſufficere conſuetum. Seminaria maximè hiſce regionibus carporum uſurpamus.

Habere convenit loculatas piſcinas, hoc eſt parvas, vel etiam arculatas, quibus piſces quotidiano uſui accommodatos ſervamus,

mus,unde quoties libet ex tempore & in promptu deſumere liceat. Hæc habui quæ de mea profeſſione vobis proferrem.

THEREVTICES

Pars Tertia

DE PISCATIONE.

HALIEVS. DE piſcinis villaticis & privatis ſuperiùs Piſcinarius copioſè diſſeruit: Nos tertiam venationis ſpeciem, nempe Piſcationem & capiendorum piſcium rationem, hoc eſt ἁλιευτικὴν exequemur. Nam cùm humana ſolertia nihil intactum relinquat, ſive in terra ſive in aëre atque aqua, & omnia hominis imperio præter ſuperos ſubdita ſint, ut ſupra dictum, quantumvis immanes belluas, tàm aëreas & marinas quàm terreſtres, homo ſibi ſubjicere ſuoque uſui ſervire ſtuduit. Siquidem non elephanti modò & leones parere coguntur homini & avium examina, verum etiam quæ Pontus gignit formidoloſa atque aſpectu horrenda, cete, teſtudines, phocæ, hyenæ, canes marini, lamnæ, zygenæ, ipſis terreſtribus horribiliora monſtra, & quæ nationibus metuenda, tamen ab imbecilli piſcatorum genere capiuntur.

De piſcatu pauci (quod equidem ſciam) & apud Latinos & apud Græcos ſcripſerunt præter Oppianum; qui contractius, atque id ſolùm de capiendis piſcibus marinis ſcripſit. Ariſtoteles Athenæus & Plinius de piſcium natura quædam tradiderunt: de piſcibus autem capiendis vel parum admodum, vel nihil. Columella de piſcinis & piſcibus alendis ſcripta reliquit, & Ælianus ſparſim nonnulla.

Piſcium uſus humano generi ſicut & alia animalia conceſſus ſingulari Dei beneficio: cibum enim præbet utiliſſimum & lautiſſimum. Multas gentes ſolis piſcibus victitare dicitur. Nam Oritas & Arbias gentes Ichtiophagos eſſe, qui domicilia quoque è piſci-

piſcium oſſibus faciunt, portas è coſtis, & è vertebris mortaria, teſte Strabone. Item panem è piſcibus ad ſolem toſtis atque contuſis addito pauxillo fermenti.

Principio piſcatorem Oppianus, ſicut res ipſa docet, non minus quàm venatorem, vigilantem, laborioſum frigoris & æſtûs patientem eſſe vult, item ſagacem, ut piſcium fraudes eludere queat. Inſtrumentis huic arti idoneis inſtructus ſit piſcator oportet: nempe retibus, tridentibus, fuſcinis, hamis, naſſis, atque id genus ad piſcationem neceſſarijs, ut mox dicetur.

Porro tunc piſcatio inſtituenda, cùm piſces deſiderio fœturæ loca tepida adeunt; tùm enim maximè capiuntur, ut Ariſtoteles tradit, maximè ſub ſolem orientem, vel paulò pòſtquàm occiderit, tùm enim maximè viſus piſcium fallitur. Hyeme vada petunt, alij in limum aut arenam, alij in ſcopulos ſe abdentes. Ad vernum tempus & æſtate in ſublime redeunt, cùm herbæ vireſcere incipiunt littoribus appropinquant. Piſces qui in mari degere ſolent, propè fluvium aliquem aut lacum, cùm partui ſunt vicini, è mari in lacus aut fluvios prodeunt, cùm quod aquam à ventis tempeſtatibuſque liberam amplexentur in partu, tùm ne beluis marinis fœtus exponant. Atque ideò in Pontum Euxinum ſecedunt, qui obid plurimis piſcibus abundat, & quod beluis marinis rapacibus non ſit obnoxius. Verno tempore, germinante terra, piſces quoque ſicut alia ad coitum incitantur: & alij ova arenis petriſq; atterunt, alij natando expellunt. Et cùm omnes reliqui ſemel, lupum bis, mullum ter parere tradunt. Mares procedentes ſemen ſpargere, fœminas ſequentes exorbendo excipere, neque aliter coire, etſi ex Herodoto tradat Ælianus; reprehenſum tamen id ab alijs, nam coire omnino, ſed alios aliter, idque tanta celeritate, ut obſervari certi vix aliquid poſſit. Piſcis fœmina coitus tempore marem ſequitur, ventrem ejus roſtro pulſans, ſub partu mares fœminam ſimiliter. De qua re, qui volet, legat Maſſarium in Plinium.

Tem-

Tempora piſcationi accommoda autumno probantur poſt ſo-ſis occaſum, maximè prima nocte: nam tùm piſces dormitant, & facibus lucentibus capiuntur quieſcentes: bruma verò meridie: vere toto die, quod tùm ad fœtum evagentur, & in Venerem concitentur. Alij æſtate capiuntur, alij hyeme. Nam hyppurum & coracinum hyeme non capi, ſed tantùm æſtivis diebus: atque tùnc cancri fluviatiles & troctæ comendabiliores.

Piſces alij alijs locis delectantur: alij inter ſaxa, alij in arenis, alij in ulvis herbidiſq; locis verſantur. Explorandus ventus ut ſit tranquillus, alienus à tempeſtate. Et ſicut in terreſtri venatione, ſic in piſcatu Noto ſpirante retia adverſus Boream, & contra Borea flante in Notum trahenda. Euro ſpirante adverſus Zephyrum dirigenda retia, & contrà.

Piſcandi varii modi. Traditur cyclamini pharmaci ſubacti odore piſces veluti ebrios & infirmos reddi, adeò ut manu capiantur, atque ideo ichthiotheron dici. Idem de hyoſcyamo proditum. Ælianus quatuor memorat piſcandi genera: nempe reti, naſſà, hamo atque conto. Retium exiſtimat uberiorem, ſed ſupellectilem requirere variam. De his ſuperius dictum in venatione. Conſervantur autem retia piſcatoria diutius, ut in venatione ferarum dictum. Naſſarum uſum, quia inſidioſus ſit, ingenuum hominem minimè decere quidam opinantur. Hamo autem piſcari libero homini magis decorum exiſtimant. At quæ conto fit, eam eſſe ſtrenuiſſimam, & hominem requirere robuſtum. Ad eam requiri perticam rectam oleaginam, & funes è ſparto contextos, & tedas atque faces pineas ac reſinoſas: navem parvam, & remiges validis brachijs. Proditum eſt, tempore hyberno cùm Iſter glacie conſtrictus eſt, piſcatores glaciem in orbem perfodere inſtàr putei: huc cùm lucis deſiderio piſces conveniunt, facilè capi, ut Ælianus tradit. Item glacie ſecta ſecuribus, verriculis piſces capi vulgare eſt. Alij calamis longis adnectunt ſetas equinas, alij hamos incurvos: annexa eſca,

alii

alij lina & ſuniculos contextos è navibus jaciunt, alij multiplices hamos expediunt. Sunt qui naſſis, atque his diverſis utantur: nam quædam ex ſaligineis virgis contextæ, nonnullæ è linis conſtant. Alij plumatis funibus piſcantur, quemadmodum lepores in ſegetibus ſuperius diximus venari. Quidam expedito utuntur piſcandi modo: perticæ alligant rete, ſacci in morem inferius clauſum & anguſtum, ſuperius patulnm, idq; impoſita eſca in aquam dimiſſum ſubinde reducunt, captoſque piſces eximunt. Item modus capiendi corbe, fiſcellis, in ſtagnis rivíſque herbidis atque ulva obnoxijs, vimineo cophino ſuperiùs inferiuſque patente, eoque ſubitò dimiſſo in vadum: qui hoc modo cinguntur cophino piſces capiuntur. Alicubi in rivulis ad faces noctu piſces fuſcinis conficiunt. Crebrior piſcandi, maximè in mari & fluminibus, modus verriculis expeditur vel ſagenis. Retia ſunt hæc oblonga & mediocriter lata, altrinſecus funibus alligata, ex una parte plumbei globuli ab altera ſuber annectitur. Atque hoc quidem lignum propter levitatem in ſublimi aquam ſuſtinet eam partem retis, alteram cogit plumbum ſubſidere. Pas una verriculi ſcaphæ imponitur, altera parte in ripa relicta naviculaque in altum per gyrum ducta ad ripam tandem reverſi totum rete ad littus retrahunt incluſis piſcibus. Plinius ait, intereſſe capturæ ſi iteretur gurges. Et Ariſtoteles teſtatur, ſi gurgitum ima ſæpius terantur, plures capi ſecundo jactu quàm primo. Eſt & retis genus quod geminis perticis in mare mittitur, ſubitoque piſces comprehendit. Aliud in modum papilionis aut tentorij contextum rete inferius plumbatum, in ſublimi nodoſum. Ejus caudam ſiniſtrâ tenet piſcator, dextra in altum jacit rete; idque ſubſidens, piſces qui eo loci ſunt cingit, & cùm retrahitur claudit.

Eadem aquatilia genera alicubi atque alicubi meliora. Littorales pelagicis meliores contendit Ariſtoteles: quippe qui cibo copioſiore melioreq; potiantur. Lupi piſces in Tyberi amne inter

duos pontes rhombus Ravennæ, muræna in Sicilia, Rhodi, oſtreis ſaporem optimum Lucrinis adjudicant quidam. Sturio ad oſtia Rheni, Siluri in Danubio & Mœno, Salmones Rhenenſes, Varij in montanis rivulis, Haleces, ſicut & piſcis qui induratur, ex Oceano Germanico, commendabiliores.

Cœterùm ut ſunt piſces varij, varijque piſcandi modi, non omnes etiam eſca capiuntur. Nonnulli priuſquam appetant, odorantur. Ineſſe enim & auditum & olfactum experientia compertum eſt. Quoſdam & ſpeluncis latentes ſalſamento illitis faucibus ſcopulis piſcator expellit, velut ſui cadaveris agnitionem fugientes. Conveniuntque ex alto ad quoſdam odores, ut ſepiam uſtam & polypum, & ob id coguntur in naſſas. Sentinas navium fugiunt, maximè piſcium ſanguinem. Non poteſt petris avelli polypus, ſed cunila admota ab odore protinus reſilit, ut ait Plinius. Aliqui pane ineſcantur & vocati adſunt, ſic aſſueti paſci. Purpuræ & aliquot alij aquatici fœtidis delectantur. Minores hamis minoribus, diſtentis etiam caprinis pellibus ſæpè capiuntur.

Cete grandis belua. (Nearchus vicenum & ternum paſſuum refert) ipſis navibus metuenda, in Heſperio mari plurimùm viſitur & Oceano, & tarda incedit. Eſt muſculus piſcis exiguus aſpectu, ſed cauda longiuſcula; hic monſtrum ducit, illud verò ſequitur. Quare muſculo vivo cete raro capitur, verum duce capto non difficile capitur belua, & viæ & conſilij expers, utpote noctu caligans oculis. Cuſtode igitur capto, apparet monſtrum eminentibus extra aquam pinnis. Piſcatores rudentes benè compactis nodis extendunt; qui ne abrodantur, catenis intexuntur per multos orbes. Ad hæc utres ſpiritu diſtentos alligant, eoſque in pelagus demittunt. In hamo inditur eſca, jecur aut armus taurinus, quem uno ictu deglutire queat. Mox præparatis ſecuribus & ingentibus gladiis adoriuntur monſtrum, ſed taciti, ne rumorem ſentiens in profundum deſcendat.

Eſcam rapiens & devorans capitur, funibuſque trahitur. Et nî utres funibus annexos habeant piſcatores, unà cum navibus facile mergeret immanis belua. Sed dum in utres cedentes ſævit, interim piſcatoris ictu confoditur, & in terram trahitur.

Ejuſdem ferè magnitudinis Phyſeteres, qui efflationibus fluctum maximum & caliginem navigantibus excitant, ut Strabo ſcribit.

Balænæ ſubmerſuræ naves, dolijs ejectis vel effuſo caſtoreo terrentur.

Balena, Orca, Cete, communiter vocantur Walfiſch. Orcam tradunt balænæ infeſtam beluam: capi invitatione prædæ, dum ſaginam proſequitur: in littus fluctibus propulſa, eminente dorſo multùm ſuper aquas carinæ in modum inverſæ, multiplicibus plagis confoditur, & mergi ſæpè piſcatores reflatu beluæ oppletos unda: & quia os habet in fronte, ideoque ſumma unda innatantes in ſublime nimbos efflant. A Claudio Principe oppugnatum orcam in portu Oſtienſi: quò profectus ipſe cum prætorianis populo Romano ſpectaculum præbuiſſe proditum, lanceas congerente milite è navigijs aſſultantibus, Plinius tradit.

Canes quia voraces, & piſcantes perturbant, hamis occultatis in piſcibus capiuntur.

Lamnæ in remos ſæviunt, dentibus circulo injecto capiuntur.

Phocæ non hamis neque tridente aut fuſcina cùm duriore ſint cute, ſed retibus capiuntur.

Teſtudinem etiam inter cete numeratam, immenſæ magnitudinis beluam Indico mari mitti: quarum ſuperficie habitabiles caſas integant: atque Rubro mari his navigant cymbis: & piſcatoribus ob viam infauſtam Oppianus putat. Capitur ſi invertatur, & ſupina feratur, ſic facilè configitur. Inprimis eliciuntur ante meridiano tepore blandiente evectæ, eminentes lato dorſo, per tranquilla fluentes. Quæ voluptas liberè ſpirandi in tantum

ſalſit oblitas ſui, ut ſolis vapore ſiccato cortice non queant mergi, invitæque fluitent, opportunæ venantium prædæ. Ælianus ſcribit, caput ejus abciſſum diu vivere, & ſi manum oculis admoveas, oculos claudere, & ſi propius admoveas mordere.

Delphinos capere religio eſt, ſiquidem hi piſcatoribus auxilio ſunt. Nam ad nomen Simonis vocati adeſſe ſolent, piſces ex imo fundo pellentes. Vnde ei partem prædæ dare conſueverunt piſcatores: quam ſi negent, in poſterum eiſdem non adſunt in piſcando. Thraces ad Byzantium Delphinis non parcunt: & quia ab hominibus non metuunt, facilè capiuntur, maximè primùm nati. E quibus uno capto mater facilè capitur, ut ſequatur: natoſque veluti ad ludum literarium liberos educente parente, ut inquit Oppianus, ipſa pene ἐθελοντὴς ſequitur. Ariſtoteles tradit retibus apprehenſum brevi tempore ſtrangulari, cùm ſpirandi facultas quam habet adimatur. De Delphinorum φιλανθρωπίᾳ multa paſſim leguntur, ut de Arione apud Herodotum, & pueris adamatis: dorſoque exceptos in mare vexiſſe atque revexiſſe, ut eſt apud utrumque Plinium, & Athenæum, & Oppianum. Notum eſt de Cærano Mileſio, qui captum delphinum, & necandum à piſcatoribus redemit, poſtea navi in qua Cæranus erat merſa, ab eodem conſervatus; ac deinde mortuo in patria, atque in littus elato agmen Delphinorum apparuit non procul, tanquam funeri præſens & opem laturum.

Purpuræ capiuntur poſt canis ortum, aut ante vernum tempus: quoniam quando fœtificavêre fluxos habent ſuccos, & fœtidis delectari Plinius teſtatur. Oppianus tradit capi miſſis ſtrombis piſcibus aut oſtreis in denſos calathos è vimine aut junco complexos: qubius purpura, linguã inſerens ad eſcam, mox intumeſcentem detrahere nequit, atque ſic capi. Alij purpuras capi parvulis rariſque veluti naſſis in alto jactis, eſca indita cluſilibus & mordacibus conchis: has ſemineces ſed redditas mari avido hiatu reviviſcentes appetunt purpuræ porrectiſque

linguis

linguis inſeſtant. At illæ aculeo extimulatæ, claudunt ſeſe comprimuntque mordentia, ita pendentes aviditate ſua Purpuræ tolluntur. Aqua dulci necantur.

Scarus, inquit Ælianus, omnium piſcium ſagaciſſimus, & cupiditate impotens in fœminam. Quod cùm piſcatores non ignorent, comprehenſæ fœminæ ſummum os ad tenuem funiculum ex ſparto confectum alligant, eamque vivam per mare ad cubilia, ubi congregari conſueverunt, trahunt, naſſæque in piſcatoria navicula os latè diductum paulatim demittitur in mare. Mares ad conſpectum fœminæ libidinis furore certatim in eandem feruntur. Interim qui fœminam deducit rectà ad naſſam tendens, cum fœmina in naſſam trahitur: mares gregatim cum fœmina capiuntur.

Cephalus, piſcis cænoſus, amnium quàm turbidorum amans, ut Pauſanias in Meſſeniis teſtatur, retibus capitur, nam ſummis natat undis.

Orcinus, cetaceus piſcis mirè ſagax. Cum enim hamum, quo capi ſolet deglutierit, mox in profundum ſe dimittit ad petram aut ſolum allidens, hamum expellere cupiens; quod ſi minus licet, vulnus dilatat, atque exiliendo expuit. Sæpè tamen id non ſuccedens capitur.

Apuæ verriculis tenui filo contextis capiuntur, inutiles alioqui piſces ob exilitatem, ad aliorum piſcium capturam ſolùm uſurpati.

Oſtrea, Conchæ & Carabi (locuſtas Theodorus vertit) capiuntur vel verriculis vel maris reciprocatione in littora provecta.

Thunni & porci marini, quos Strabonem pelamides appellare volunt, eoſque in Mœotide gigni, unde gregatim erumpentes per anguſtos maris ſinus, ad Byzantium plurima eorundem venatio; adeò ut manibus intercipiantur. Capiuntur retibus. Eſt autem eorum captura à Vergiliarum exortu ad Arcturi occaſum. Celtas Ligures & Maſſilienſes ingentibus hamis ca-

pere eos prodit Ælianus. Reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus. Thunnos juxta Hiſpaniam glande ſaginari ſcribit Strabo.

Haleces, alij aregans vocant, Iovius exiſtimat veteribus apuas dici. Sunt qui è menarum genere eſſe tradant, menidium per diminutionem dictum. Capiuntur circa Auguſtum menſem in mari Septentrionali ſupra Angliam ac Scotiam. Piſcatores è Batavis & Morinis maritimis civitatibus ſolvunt, navibus in hoc paratis, quas buſas vocant: commeatum menſtruum viginti aut triginta hominibus ſufficientem una cum retibus & inſtrumentis neceſſarijs aſſumunt. Retibus utuntur denis aut duodenis ulnis longis & quatuor latis, inferiori fune grandi & robuſto munito: horumque retium plura ſimul nectunt, inferiore parte propter ſunis pondus deſidente, & ſuperiore propter annexum ſuber natante. Veſperi ſub crepuſculum ejectis linis, haleces ultrò in retia ſe conjiciunt, branchaſque inſerunt. Piſcatores ad ſtadia aliquot provehuntur: ubi ſentiunt pondus, mox trochleis retia exprimunt propter ingentem copiam tantumque pondus, quod citra hæc adminicula educère non queant: nam aliquoties ultrà centenas tinas capiunt. Cavent ut opus conficiant noctu, nam ſtatim ad auroram elabuntur haleces. Periculoſa eſt piſcatio, nam rarò diu ſuperſunt piſcatores. Ajunt aliquoties unam mulierem quinque aut ſex maritos uno anno ſuccedentes amittere.

Piſcis induratus mari ſeptentrionali circa inſulam Thulen capitur in maximis rigoribus: qui exiccatus fuſtibus malleiſque rurſum mollitur. E genere Aſellorum creditur. Alii merlucam eſſe volunt. Capitur (ut ajunt) retibus.

Spongiam animal eſſe docent Plinius & Oppianus, quod cruorem habeat inhærentem. Aliqui narrant etiam auditu vehi eas, contrahique ad ſonum, exprimentès abundantiam humoris, nec avelli petris poſſe niſi reſcindantur. Captura autem eorum periculoſa. Nam piſcator edoctus ſpiritum continere, à ſo-

à ſocijs ilia cinctus, atque ſiniſtra plumbum gerens, dextera falcem, ore oleum, atque ita ad maris vadum demiſſis funibus, oleum ore diffundit, unde aqua lucet perinde atque flamma noctu. Spongiæ affixæ virentibus petris falce reſecantur, mox ſanies effluit, oriturque fœtor hominem ſèpè enecans: & reſectis ſpongijs ſubitò emergit, ſæpè laceratus ſi non totus devoratur à beluis marinis, Oppiano teſte. Quare obſervant ſpongiatores, anthiæ piſces ubi ſint. Illic nullas eſſe beluas marinas, oſtendit Ariſtoteles.

Anthias piſcis eſt apud Chelidonias inſulas & Aſiæ ſcopulos frequens: celeriter capitur, uno genere. Parvo navigio & concolori veſte, eademque hora per aliquot dies continuos piſcator enavigat certo ſpatio, eſcamque projicit. Primum timetur fraus, poſt conſuetudine invitatus unus Anthias eſcam appetit. Is aliquot dies ineſcatus velut conciliator innumeros adducit, & priores illi piſcatorem agnoſcentes eſcam è manibus ſumunt. Tum piſcator paulum ultra digitos in eſca mittit hamum, & ſingulos involat verius quàm capit: interim parcens conciliatori, cavenſque ne palpatio aut ſonus cæteros abigat. Sunt qui tradant Anthias captos miſerabilem mortem lugere, non aliter quam homines qui in latrones incidunt.

Sargus, quia caprarum amator, ad earum umbram vel earum pellibus facilè capitur. Quare extremis littorum marginibus & ſcopulis collocant capras vel ſimulacra earum ad capturam. Quanquam etiam naſſis capiuntur myrto lauroque annexis, ut Oppianus teſtatur. Norunt artes, quibus ſocios captos eripiant. Captus hamo lina arrodit. Naſſa clauſo ſocio in caput natàns caudam præbet, qua prehenſa ore ſe extrahit.

Capitones, Cephali, Schelfiſch/ Italis Capitelli, Gallis Egerfin appellantur: alii è mugilum genere eſſe arbitrantur. Capiuntur maximè hyeme, & reciprocatione maris littore ſiccato fodiuntur foveæ, in quibus plerumque remanent recedente mari.

Aliud

Aliud tamen genus arbitror cujus Ælianus meminit, in Achaico ſinu frequens, quos ille perinde atque ſcaros ob libidinis incontinentiam fœmina captiva per mare tracta capi tradit. Scribit Ariſtoteles capitonem algore oculis deficere, offa panis quoque capi & terræ inteſtinis maritimis hamis affixis.

Mugiles celeritatis ſunt acertimæ, ita ut retia tranſiliant: quare cautione opus in captando.

Sepia tridente capitur, ſed percuſſæ fœminæ auxiliantur; attamen fœmina capta mare fugit. Vbi ambo ſe ſentiunt apprehendi, effuſo attramento, quod prò ſanguine ipſis eſt, abſconduntur.

Torpedo dextram piſcatoris torpore afficit, ut hamum excidere manu cogat, contactu vires adimit, atque ea fraude piſces languentes devorat. Quod ſi quis liquorem Cyrenaicum teneat, nihil torporis ſentire, traditur ab Æliano.

Anthieorum captura juxta Corycium, ubi gregatim ad paſtum accurrunt, iteratoque paſtu cicures ac familiatiores redduntur, dejecto autem lapillo defugiunt in profundum ac vadum. Interim unum capiens piſcator ſic deinceps alium capit, eſca è labraee vel vivo vel mortuo parata. Oppiano authore.

Callichus, Orcymus, Cantharus, Carabus, Polypus, naſſis capiuntur, eſca igne toſta injectaque naſſæ, cujus nidore capiuntur.

Chalcides, Trachuri, capiuntur piſcibus impoſitis naſſæ.

Triglæ illuvie delectantur, maximè humano corpore. ſuum inſtar; de quibus plura Oppianus.

Paſſer, piſcis planus, pecten. Capitur reciprocante mari in altum naviculis evectis, retibuſque emiſſis: idque plurimum circa mare Britannicum. In Morinis capti in ſole & ventis exiccantur ſuſpenſi.

Polypus olivæ rami amore capitur.

Hip-

Hippurus gaudet laceratarum navium tabulis, Horum loco faſciculis arundineis ſubligato lapide,& pòſt hamo miſſo capiuntur,canis viſceribus & inteſtinis immiſſis hamis.

Aphiæ gregatim procedunt,adeò ut navis in eas tanquam in rupem impingens,ſiſtere cogatur: ſed ſecuri cæduntur.

Inter fluviatiles generoſiſſimus lupus, qui & lucius atque labrax à Græcis dicitur, licet non ignorem alios alium appellare piſcem. Rheno ac propinquis fluvijs & hamo & retibus capitur. Hamo captus,niſi properè adſis, dolore vulneris contempto, laxat hamum ac refugit.

Salar qui Auſonio *ſtellatus tergora guttis*, aliis Varius. Æliano Troctam dici quidam putarunt, licet ejus deſcriptio non videatur convenire Salari vel Trutæ harum regionum & fluviatili: cùm ipſe inter marinas referat, & hamo captum ſolum è piſcibus ſe abſtrahere ex hamo, quod cùm piſcatores intelligant, longiores anſas machinentur. Carpo Italis exiſtimatur eſſe qui in Benaco capitur, troctarum ſaporem referens, niſi quod hic rubris ille nigris maculis diſtinguatur, ut Iovius ſcribit. Tametſi Salar vel Truta in omnibus circa Rhenum & Moſam, cœteriſque Germaniæ rivulis, alij nigris alij rubris diſtinguantur punctis. Theodorus juniorem ſalmonem exiſtimat ſed falſò : nam etſi hi quoque punctis maculentur, in Rheno alijſque fluvijs tamen reperiuntur, maximè in ſuperiore Germania circa Briſacum & alia loca pleraque, non autem in rivulis. Truta in Rheno & magnis fluminibus non capitur; ſed ſaxatilibus rivis gaudet hic piſcis, licet vivarijs etiam contineatur aliquoties. Capiuntur vel manibus in cavernas rivorum compulſi: nam latibula quærit ſuberoſis ripis arborum radicibus veſtitis. Alicubi naſſis retibuſque: nonnunquam fuſcina ad nocturnas faces figitur. Eſt & Tructa vel Trocta marina. Veneti nomen ſervant.

Funduli, piſciculi ſaxatiles, partim manibus ſub petris latitantes capiuntur, partim minutis retibus.

Capitones quoque rivulorum ſaxatilium piſciculi, quibus boithi & coiti aſſimiles tradunt: quidam ad eundem modum ſub lapidibus occultantur, manibuſque lapide cincto leniterque ſublato comprehenduntur.

Alburni & ipſi fluviatiles hamo capiuntur: maximè verno tempore, hamo alligatâ eſcâ lumbricorum, qui à rore nomen habent.

Gobij, non ſolùm in fluvijs, ut Atheſi & pleriſque regionis Tridentinæ fluvijs, verùm etiam mari capiuntur & lacubus: nam & in Lario & Verbano aluntur, laudari maxime propter jecinoris gratiam. Itali vocant Capitoni, Græcè κώβιοι Ariſtoteli. Non multùm fundulis diſſimiles: qui Rheno capiuntur & vicinis amnibus, nempe hamo & verriculo.

Carpio & fluvialis & marinus. Sunt qui cyprinum aut Cyprianum vocitent. Delectatur limoſis vadis, capitur reti & hamo atque naſſa. Sed rete fallit, caput limo condens, ut rete apprehendere non queat. Eſt & Carpio Benaci, qui aliàs Varius, nigris maculis, de quo ante dictum.

Perca, ſpinis armatus, ut Athenæus teſtatur. Capitur reti & naſſa. Eſt & marinus ejuſdem generis piſcis.

Cancri fluviatiles vel ſub petris vel in cavernis latitantes capiuntur. Obſervare autem oportet, aqua in cavernis tepidane ſit an calida. Si calida; facilius buſonem quàm cancrum reperies, frigidis autem aquarum cavernis cancer latitat. Apprehenditur dorſo, ne chelis comprehendat ſtringatque capientem.

Anguillæ capiuntur naſſis, impoſitis inteſtinis aut alijs eſcis. Nonnunquam & fuſcinis, quæ in limo demerſæ figuntur. Ælianus tradit anguillas in Pado capi, inteſtinis ovillis trium aut quatuor cubitorum longitudine. Atque alteram extremitatem inteſtini piſcatorem in fluvium dejicere, quæ verticibus volutatur, alteram manu tenere atque huic parti arundinis fruſtum ad digiti

aut amplius longitudinem inſerere. Mox cùm anguilla eſcam rapuit deglutitque, piſcator arundinem inflat, unde inteſtinum intumeſcens anguillæ fauces opplet, anhelitumque obſtruit, ut neque ſpirare neque infixos dentes detrahere anguilla queat. Atque ſic ſuffocatam capi.

Murænæ fluviatiles naſſis capiuntur, & nonnunquam retibus.

Eodem modo & Lampetræ, muſtellæ veteribus dictæ.

Mona, mullum aliqui vocant, & ipſe rivis gaudens, Rhenoque frequens. Retibus capitur & hamis atque naſſis. In rivulis & fuſcina ad faces nocturnas.

Tinca Italis, aliqui merulam, alij turdum, alij colyphum exiſtimant dictam. Capitur retibus & naſſis atque hamo: maximè verno æſtivoque tempore magis quàm hyberno. Paludibus & ſtagnis piloque gaudet. Eſt & marini generis Praſinus, quem Preſſum vocant. Capitur retibus & hamo toto ferè anni tempore, autumno commendatior.

Mugil, quem barbatum appellant, capitur fluminibus Germaniæ, & reti & hamo atque naſſis.

Thymallus, Eſchium vocant, contemptus piſcis & vilis, ad eundem modum capitur. Alium referunt in Ticino Italiæ degere, mirâ odoris fragrantiâ, ut Ælianus ſcribit.

Salmo nobiliſſimus & carnoſus piſcis, Germaniæ fluminibus peculiaris: naſſis plurimùm amplis in flumen miſſis, alligatiſque prælongis vimineis funibus, capitur; idque frequentiùs decreſcente flumine Favonijs flantibus, à bruma uſque in æſtatem. Inde Laſſus vocatur. Cùm incipit parere ſcandit, petricoſa & ſcabroſa loca petens.

Sturio, ſunt qui Silurum putant, alij delphinum fluviatilem. At neutrum horum eſt veriſimile: nam ſiluro dentes aſſignat Ariſtoteles & delphino, ſturio dentibus caret, tantùm fo-

tamen habet rotundum non amplum oris loco. Maximus fluviorum piſcis eſt, mari Oceano aberrans. Rheno plurimùm ad oſtia ejus fluvij, aliquando altius, aſcendit. Proditum eſt, Silurum à Myſis in Iſtro capi, admotis ad ripam bobus aut equis, illiſque jugatis alligari hamum validum, aſſo tauri pulmone inſtructum, eumque cum eſca in flumen dejici. Silurus gratiſſimam eſcam appetens hamum incautè devorat, & dum infixum elidere non poteſt, piſcator ſentiens funem exagitari, boves equoſque inſtigat tanquam arator, atque ſic prædam extrahit. Silurum Plinius in Moeno & Danubio fluvijs reperiri, teſtatur libro IX cap. V. eumque eſſe putant, quem vulgus vocat Germanica lingua Ein Huſe: quanquam Marionem hunc vocent alij.

F I N I S.

Emendanda.

Pag. 79. lin, 15. ſcribendum: *Quoniam verò.* Pag. 126. l. 15. ſcribe: *minor Columella inter Italos ſuos quidem exiſt.* Pag. 152. l. 8. & 9. videtur Heresbachius ita ſcripſiſſe: *fœmina mas auxiliatur, attamen fœmina mare capto fugit.* In editis tamen hactenus libris aliter ſeſe hæc habent: ut ſunt præſertim in Thereuticis plurima mendoſa. Reliqua minuta eruditior quiſque nullo monitore correxerit.

TA
NU
2